

12
26 H
17





BEATVS RHENANVS SELEZESTADIENSIS, IN C. PLINIVM.







Repurgatur hoc libro non ſolum Præfatio PLINIANA à multis mendis, & ipſi Naturalis Hiſtoriæ libri infinitis locis caſtigantur, ac tanquam ſcholijs alicubi illuſtrantur, poſt omnium æditiones annotationésque quas ad hoc tempus, nempe Annum M. D. XXV. uidere contigit, Verumetiam modus oſtēditur, quo tum ipſe PLINIVS tum autores alij præſidio manuſcriptorum codicum reſtitui queant, & adiuuatur diligentiſſima FROBENIANAE Officinæ æditio, quam ubique ſequimur, cum qua collationem quoque fieri uolumus à lectore. Nam quæ caſtigata ſunt in illa antè, ſunt autē innumera, nos conſulto præteriuimus. Dices hoc laboris poſt Hermolaum Barbarū uirum eruditiſſimum, non fruſtra à nobis ſuſceptum, ſi modo legeris. Et probabis conſilium noſtrum quo hæc ſeorſim doctis cognoſcenda nunc exhibemus. De qua re fuſius in proxima Epiſtola, quæ nuncupatoria eſt, ad clariſſimum Baronem [redacted] Polonum.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO IMPERIALI.

ILLVSTRI POLONIAE BARONI, [redacted], BEATVS RHENANVS S. D.



AEPE CAVSAS MALE ACCEPTAE rei literariæ consyderanti mihi, clarissime LASCE in mentem uenire solet, id quod uerissimum esse puto, non tam Gotthicas illas irruptiones, uastationesq́;, quàm multo magis crassam ac supinam maiorum negligentiam, quibus curæ non fuerit uel hoc satagere, ut bonorũ autorum reliquiæ, quæ è clade illa supererãt, fideliter & accurate describerentur, nocuisse literis, & in istam mendarum fœditatem nitidissima scriptorum monumenta coniecisse. Nam esset fortassis cur illam Barbarorum incursionem minus grauiter ferendam duceremus, si uel ea quibus hostilis feritas pepercerat, integre, quod in maioribus nostris certe sitũ erat, ad nos usq; peruenissent. At hoc adeo factum non est, ut nullũ fermè uolumen à mendis incolume sit seruatum. Quinimmo quasi stipendio conducti fuisse uidentur, qui dedita opera libros deprauarent. tanta libidine quidam in adulterandis bonorum autorum scriptis grassati sunt. Id quod cum ubiq; sit obuiũ, in nullius tamen monimentis magis cernere licet, quàm C. PLINII Secundi, illis inquam quibus apud Latinos nihil uel illustrius extat uel utilius. Quis enim nescit id opus PLINII, cui ipse titulum fecit Historiam mundi, maximi thesauri loco esse doctissimo cuique? In quo uno summatim reperire licet, quæ compluribus libris apud ueteres continebantur cum Græcos, tum Latinos, quos ille docte & elegãter, ubi uisum est, transcripsit. Proinde saluo PLINIO, bonam partem antiquissimorum autorum saluam esse necesse est, qui in PLINIANIS scriptis adhuc uiuunt ac supersunt, cum alioqui iniuria temporis illorum monumenta penitus interciderint. Quo magis erat annitendum, ut quando totas bibliothecas tueri non licebat, uel potius non libebat magis de bonis moribus quàm de eruditione solicitis, saltẽ hoc PLINII uere diuinum opus quod bibliothecæ instar est, sincerũ ac inuiolatum ad posteros transmitteretur. Sed sera nimis est hæc querela. Porrò quando hoc factum non fuit, magnam sanè mihi laudem promeruisse uidẽtur eruditi illi, qui, quod proximũ remedium erat, hæc uolumina mendis tantum nõ obsita repurgare sunt conati. Inter quos principem locum obtinet Hermolaus Barbarus, uir tum literis, tum honestate uitæ, dum in humanis ageret, prorsus incomparabilis, quẽ ego præstãtiorẽ ipso Hercule censeo, quod primus cũ ante nemo fuisset hãc

rem ausus attentare,cũ PLINIANIS monstris congredi sustinuerit. Nec ille labor infelix fuit.Siquidẽ innumeris locis restitutis mirã lucem nobilissimo scriptori attulit,q ante nulli intellectus,& idcirco cõtẽptus passim negligebat.Quæ res arridente successu, postea alios quoq; doctos extimulauit,ut in emaculando PLINIO operã insumerẽt. Verũ horũ castigationes,ad Hermolaicas cõparatæ, nihil ꝓpemodũ sunt. Adeo uir ille eruditionis absolutissimæ suo æuo, plurimũ diligentiæ in hanc prouinciã collocauit,ad quã uix alius reperiri poterat, uel aptior, uel necessarijs ꝑsidijs instructior,nẽpe cõsummata doctrina, tũ utriusq; linguæ libraria supellectile copiosissima,cũ id temporis boni autores artis typographicæ beneficio nõ ita forent inuulgati,quẽadmodũ ab illius obitu typis excudi cœpere. Cæterũ inter eos,qui hoc idẽ,ut dixi, tentauere,quantũ ego sanè iudicare possum,nemo felicius se gerit Guillielmo Budæo(q uir ætatẽ nostrã unice exornat, magnũ ubiq; decus Galliæ suæ cõcilians)uel ob hoc, quod sine ueteribus exẽplaribus nihil agit, hæc inspicit,cõfert,citat:sine qbus parũ uideo profecturũ fuisse Christophorũ Longoliũ, quamlibet ingeniosum. Et profecto sic est,ad manuscriptos codices & eos uetustos cõfugere oportet eũ,qui in autorũ monumentis restituendis cũ laude uersari uelit. Nam hic certissimus sinceræ lectionis indagandæ modus, è mendis,inquã,& ruinis ueterũ exemplariũ germanã scripturã eruere,hoc est,aurũ è stercore colligere. Alioqui fallaces plerunq; sunt cõiecturæ ex ingenio potius quàm è uestigijs libri desumptæ.Quæ res Hermolaũ quoq; Barbarũ sæpe decepit, cum mágis solicitus est,ut deprauata loca cum Aristotelicis libris cõferat, q̃ cũ manuscriptis exẽplaribus.Nihil fingo clarissime IOANNES. Hoc ipsum quod dico,collationis experientia me docuit. Siquidẽ proximis istis mẽsibus à discessu tuo,cũ in quodã PLINII loco,qui de Cauchis populis est,casu hæsissem, & manuscriptũ codicẽ bibliothecæ Murbacẽsis adhuc apud Frobenium esse scirem,operæprecium uisum fuit conferre locũ. Quem cũ è mendoso illo libro,cuiusmodi ferè sunt ueteres oẽs, lectione quã continebat diligenter inspecta ac perpensa, feliciter restituissem,admirãtibus ijs,qui forte tũ astabant, collibuit alia quoq; loca adhibito uetusto codice examinare.Et succedente nõnunquã collatione quæ subinde coniecturis & diuinationibus adiuuãda erat, eo usq; prouectus sum,ut nõ modo PLINIANAM Præfationẽ,sed & innumera librorũ Naturalis historiæ loca percurrendo tantũ & obiter à fœdissimis mendis,imò portentis potius uindicarim. Vicit autẽ omne tædiũ & laboris molestiam,quæ tanta in hoc lucubrationis genere est, ut maior esse non possit,utilitas,quam uidebam hac opera mea ad studiosos

omnes

omnes peruenturam. Porrò non contentus aliam lectionem simplici-
ter indicasse, ratione ostendere quoq; studui, cur sic aut sic existimarẽ le-
gendũ, non tã me herde propter cõtentiosos quosdã qui à receptis inui
ti discedũt & difficulter adduci possunt, ut castiganti fidẽ habeãt, quàm
propter studiosos quibus hanc probatissimos quosq; autores emẽdan
di uiam occultã esse nolui. Hãc fortassis cognouisse proderit illis, qui in
emaculando PLINIO occupati ferunt esse tũ in Italia, tũ in Germa
nia, quibus libens artẽ cõmõstrarim, q̃ nõ modo nostrũ laborẽ æquent,
uerũetiã pluribus adiectis longe superent, ac ubi hallucinati sumus nos,
admoneant, corrigantq;. Hoc enim ausim polliceri, si hac uia quam nos
ostẽdimus pergãt docti ueterũ monumẽtis subuenire, nõ PLINIVM
modo nos castigatissimum habituros, sed & alios autores quoscunq;.
Enimuero tametsi quidã ex his minus sunt deprauati, quidã magis, er-
rat tamen uehemẽter, qui ullum eius sinceritatis esse censet, ut emenda-
tionis non egeat. Id quod prolixius demonstrare, non est huius institu
ti. Nobis de PLINIO sermo est. Quàm multa autẽ nos in eo restitui-
mus, hactenus à nemine animaduersa. Quàm fœdos interpretũ, pfes-
sorumq; lapsus passim arguimus, qui hũc autorẽ plerisq; locis nõ intel
ligunt. De qua tamen re non admodũ miror, cũ impossibile sit è corru-
pta lectione diuinare quidnã significare uelit. Suauissimũ uero est quos
dam etiã conuitijs inter se digladiantes uidere, cũ tamen utriq; errẽt, &
neuter aliquando PLINII mentẽ teneat. Nos candide monemus le
ctorem ubiq;, neminẽ contumeliose incessentes, quod uideã hoc animi
fuisse doctis omnibus ut prodessent. Id si nonnunquã minus successit,
causam potius in codicũ deprauationem quàm in ignorantiã reijcere so
leo. Cæterũ incertitudinis hic multũ sit necesse est, ubi res ex magna par
te tãtũ cõiecturis agitur. Itaq; uenia ac fauore digni in primis sunt, q li-
bere proferũt in mediũ q̃d sentiũt, præsertim si absit asserẽdi pertinacia
ac exprobratio. Equidem hic unicus optimusq; modus est autores resti
tuendi. Nam ut olim priusquàm medicina foret inuenta, qui morbis ue
xati fuissent, in triuijs statui solebant, ut à prætereuntibus inspecti, bo-
no consilio cuiuspiã naturã ac causam affectionis malæ cognoscẽtis ad-
iuuarent: Sic & mutila PLINII loca proponi debere existimo, q̃ ab
alijs quoq; consyderent, ex his aliq̃ præsentius forte remediũ allaturo,
rectiusq; castigaturo. Siquidẽ uideo nihil æque nocuisse PLINIO, q̃
præcipitẽ quorũdã temeritatẽ, qui id ilico q̃d ab aliq̃ docto priuatim in
ipsius libro repererãt annotatũ, in æditiones aliquoties mille exẽplariũ
referre sint ausi. Huiusmodi castigationes, si seorsim doctis legẽdæ, co-
gnoscendæq; exhiberent, forte essent qui indicarent meliora: nunc quo

niam huius generis multa medijs PLINII scriptis sunt immixta, difficillimum est notha ac adulterina à gnisijs & germanis discernere. Neq; enim manuscriptorũ exemplariũ tanta copia, ut ubiq; præsto sint, nec hoc omnibus agere uacat, nec tã plana res est, ꝑpter uitiatã passim scripturam. Proinde ego Annotatiunculas istas, quas in quædã PLINII loca nuper elucubraui, separatim hoc libro doctis examinandas trado, quo uel emendent ac adiuuent, uel prorsus aboleant. Tibi aũt eas potissimũ inscribere libuit nobilissime LASCE, cũ quia plurimũ tibi debeo, quod ultro me in tuorũ amicorũ numerũ retuleris, singularẽ in me beniuolentiã cõpluribus argumentis testatus, tũ quia te PLINII lectiõe ualde delectari scio. Neq; enim, ut uulgus Magnatũ facere solet, uenatione & alea, cõmessationibusq; tempus perdis, uerũ honestioribus studijs & literarijs exercitijs dies noctesq; impẽdis. Qua diligentia tua factum est, ut iam excellentẽ doctrinã sis consecutus, quæ ad quiduis in disciplinis percipiendũ, & ad quẽuis autorem intelligendũ ex se sufficiat. Proinde cũ tam exacto sis in literis iudicio præditus, libentius tibi hunc librũ transmisi, quo non solũ in legendo PLINIO passim adiuueris, sed uicissim castigantẽ castiges. Porrò nõ libuit mihi longis narrationibus detinere lectorem, uerũ paucis & simpliciter rem explicare. Alioqui si semp affingere uoluissem lõga exordia, puta, quid in uehiculo propositum sit, cum ab Argentorato Elcebum ueheremur aliquot literati, siue ut hodie loquimur à Strasburgo Slezestadiũ, Aut quid cũ apud Rauracos in illo ponte staremus, qui Galliã cũ Germania connectit, studio sus quispiã in mediũ quæstionis causa attulerit, facile uidere est, quanti operis futura materia fuerit. Sed placuit, breuẽ esse. Quid aũt alij sensuri sint, nescio. Hoc scio, Hermolaũ Barbarum uirũ modis omnibus summũ, libenter è Venetijs ad Morinos usq; ꝓfecturũ fuisse, si illic quẽpiã nouisset, qui loca ista explicare potuisset, cuiusmodi multorũ ego restitutionẽ in hoc uolumen coẽgi. Tam illi fuisse cordi rem apparet, qui nihil non tentauit, ut optimo autori subueniret. Cæterum non me fugit, quàm tu nunc Patauij in grauissimis optimarum literarum studijs assiduus sis, quamq; frequens cum doctis uerseris, quibus ob raras animi, corporisq; dotes nõ potes nõ esse charissimus, qui ERASMO nostro perquàm acceptus fueris, adeo ut multis iã annis nullius domestica cõsuetudine magis sit delectatus, nec cuiusq; desyderiũ grauius tulerit: nõ cõmittes tamen, ut spero, quin nostras has Annotationes aliqd ocij suffuratus quãprimũ perlegas, ac cũ uulgata PLINIANORVM uoluminũ æditione diligenter cõferas. Cuius rei te, nisi multũ fallor, nõ pœnitebit. Bene uale clarissime Baro. [redacted] Idi. Feb. An. M.D.XXVI.

EX PRAE

EX PRAEFATIONE PLINIANA.



NANEM ME FORTASSIS OPEram ſumpturum quidam arbitrabũtur, qui in Plinianis uoluminibus poſt tot accuratas æditiones, totq; eruditiſſimorum uirorum Annotatiões, Obſeruationes, Miſcellanea, Racemationes, quicquam reſtituere tentem, quod illos ſubterfugerit. Multo uero magis in ipſa Naturalis hiſtoriæ præfatione tot iã doctorum commentarijs enarrata, tanta ſanè æmulatione, ut ne à cõuicijs quidem mutuis ſibi temperent. Verum qui noſtrũ hoc opuſculum uel deguſtare dignabitur, uidebit puto nos nõ omnino luſiſſe operam. Sed iam noſtræ præfationi modum imponentes, ipſam Plinij præfationem bonis auibus aggrediamur.



IBROS NATVRALIS HISTORIAE NOVItium Camœnis Quiritium Tuorum Opus Natum Apud Me Proxima Fœtura, Licentiore Epiſtola Narrare Conſtitui Tibi, Iucundiſſime Imperator. Natum habent exemplaria typis excuſa, Vetus uolumen manu ſcriptum, Natus. Vnde conijcio Natos legendum, ut ad libros referatur. Sicque compoſitio orationis uenuſtior erit, nempe ſi ſic diſtinguas, Libros Naturalis Hiſtoriæ, Nouitium Camœnis Quiritium Tuorum Opus, Natos Apud Me, & quæ ſequuntur: Vt hæc uerba, nouitium Camœnis Quiritium tuorum opus, quaſi per Parentheſim adiecta legantur, & eam quam Grammatici uocant Appoſitionem. Fuit autem facilis librarij lapſus, ut pro Natos Natus ſcriberet, propter ultimam ſyllabam proxime præcedẽtis dictionis uidelicet Opus, quam adhuc habebat in mente.

SIT ENIM HAEC TVI PRAEFATIO VERISSIMA, Dum Maximi Conſeneſcit In Patre. Vetus exemplar Maxime habet. Mire hic uariant docti, nam quidam Maximi legunt, alij Maximo, nonnulli Maxime uocandi caſu. Digladiantur autem hic inter ſe parum firmis argumentis, quantum ego ſanè diſpicere poſſum, uſq; ad conuicia & pugnos magni uiri. Mihi ſimplicius uidetur, nec quicquam de hoc ambigo, ſi Maxime pro aduerbio ſumatur, ut ſit ſenſus, In iuuenem

nem principem appellationem iucundi competere,quæ iam patri per se nium propemodum sit adempta.aut ut sint uerba augurãtis Titum filium patri successurum. Itaq; uis omnis est in Iucundissimo & Imperatore. Fuit Vespasianus optimus princeps quantum ex monumentis historiarum apparet,& festiuus ac gratus omnibus,nisi quod paulo attẽtior ad rem.sed tamen male partis,bene semper usus est. Huius successor Titus filius omnibus paternis dotibus maior, ut cui patrem æquare non satis esset,nisi etiam uinceret. Vnde Amor fuit appellatus,ac delitiæ generis humani. Tantum illi ad promerendam omnium uoluntatem,uel ingenij, uel artis, uel fortunæ superfuit, ut scribit Tranquillus. Non mirum igitur, si iucundissimi Imperatoris appellationem destinato successori iamiamq; imperium capessituro ob senium patris Plinius accommodet.

VT OBITER MOLLIAM CATVLLVM.

Sic omnes docti legunt. Vetus codex manu scriptus,habet, Vt Obicere Molliam Catullum. Apparet à Plinio fuisse scriptum, ut Obiter Emolliam Catullum. Hinc autem erroris occasio nata est, quod librarius eruditionis expers, quales apud nos hodie typographorũ sunt operæ, cum uideret ẽ primorem huius uerbi Emolliam syllabam paulo fortassis seiunctiorem à reliquis,putauit cum Obiter proxime præcedente dictione cõiungendam,& Obitere scripsit. Alius paulo doctior, & idcirco magis damnosus,uidens Obitere minime latinam esse uocẽ, audacter,sed periculose elemento t in c mutato ex Obitere fecit Obicere. Facilius autem fuisset erratum deprehensum,si Obitere sinistra diligentia non fuisset in Obicere uersum. Porrò cum elegantius tum multo significantius est Emolliam in hoc loco,quàm Molliam. Nam ẽ præpositio non solum gratiam,sed & uim quandam addit.

A VERANIOLIS SVIS ET FABVLLIS.

In codice ueteri legitur, A Veraniolis Tuis Et Famulis. Quorum postremum hoc aperte mendosum est à sciolo quopiam deprauatum, qui Fauullis V pro B usurpato, ueterum more, statim in Fanulis commutarit, ũ prioré literã ñ esse putans,cui sanè nõ multum est absimilis, sed cuius loco m̃ foret scribendũ,ut ipsi uidebatur. Sic itaq; Fabulli per librarium antiquitatis ambitiose sed stulte studiosum primo mutati sunt in Fauullos,quod tamen idem est,deinde in Fanulos,postremo in Famulos. Quod erratum in causa postea fuit, ut Veranioli mutarentur in Vernaculos propter significati conuenientiam. Atq; hoc pacto nascuntur

scuntur in libris mendæ. Pro altero illo, nempe Tuis, fortassis legi possit Thallis, hoc modo, A Veraniolis, Thallis, & Fabullis. Nã extat ad hunc puerum, sanè molliculum carmẽ in epigrammatis Valerij Catulli, nec repperi cum eum poëtam huius rei gratia percurrerem, quod aptius reponi posset. Me tamen autore nemo receptam lectionem mutabit, quæ & mihi, ut ingenue fatear, perplacet. Nam uideo facilem fuisse lapsum, ut pro Suis scriberet Tuis. Imò duo illa uerba Vt Scis, mouisse uidentur semidoctum aliquem, ut Tuis supponeret pro Suis. Quare hæc uocabula Vernaculis & Famulis non solum calamo sunt inducenda, sed eradenda penitus: nam meræ ineptiæ sunt librariorum raras & incognitas uoces, in consuetas & sibi notas temere mutantium. O certissimam bonorum autorum pestem, librarios sciolos & indoctos. Vtinam autem hodie etiam in typographos quosdam idem dici non possit.

VT IN QVAEDAM ACTA EXEAM.

Sic habent ferè exemplaria typis excusa. Manu scriptũ quod apud me est, Exeant. Vnde non dubito quin Exeat sit legendum. Sicq; scripsit Plinius. Nam de epistola ista sua quam licentiorem uocat, adhuc loquitur, alteram causam reddens paulo prolixioris procemij. Itaq; in ijs uerbis, Vt In Quædam Acta Exeat, subaudiendum epistola, Nec aliud mouit sciolum librarium ut Exeat in Exeant mutaret, nisi quod Acta uidit pluralis esse numeri, cui respondere debere putauit hoc uerbum, cum tamen Exeat aliud respiciat, nempe Licentiorem Epistolam.

OMNIA QVE HAEC REIPVB. ET NOBIS QVIDEM QUALIS IN CASTRENSI CONTUBERNIO. Hoc modo legitur in uulgatis codicibus. At Murbacense uolumen sic habet, Omniaq; Hæc Rei Præest. Et Nobis Quidem Quali In Castrensi Contubernio. Quis autem non uidet hic multas mendas esse, & ueteris lectionis uestigia tantum ac ruinas? Conabimur tamen hunc locum restituere paucis adhuc intellectum, aut potius nulli quantum quidem nos sciamus. Primum itaq; qui hic priorem orationem claudunt, Omniaq; Hæc Reipublicæ, & mox nouam hic faciunt, Et Nobis Quidem, non consyderant illam imperfectam esse, neq; enim explicatur quidnam illud sit quod nobilius fecerit, & posteriorem propemodum alienam, nec præcedentibus apte cohærẽtem. Atq; hic eruditorum iudicium appello: nam semidoctus sufficere putabit, quod nihil inueniat aperte cum Grammaticorum regulis pugnans. Quanquàm si quis attẽtius paulo perpendat,

uidebit inexcusabile uitium, dum non exprimitur quidnam illud sit, quod nobilius feceritnam hæc oratio, Et Quod His Nobilius Fecisti, Dum Illud Patri Pariter Et Equestri Ordini Præstas, Præfectus Prætorij Eius, Omniaq; Hæc Reipublicæ, plane pendet adhuc. Addẽdum enim est, quidnam nobilius fecerit, dum hæc patri præstat, quemadmodum diximus. Itaque post diligentem & diutinam uestigiorum ueteris codicis, sed deprauatissimi, perpensionem, sic arbitror Plinium scripsisse, Omniaque Hæc Reipublicæ, Præbes Te Nobis Quidem Qualem Castrensi Contubernio. Et cur sic putem legendum, ratio est. Is enim, qui Plinianum codicem descripsit, quo sum usus in collatione, perpetuo hoc habet quantum adhuc deprehendere potui, ut pro Re p̃. hoc est, Republica scribat Re præ, siue ipse pro sua stoliditate huius erroris autor est, siue potius indoctum alium secutus. Proinde cum scriptum esset, Omniaque Hæc Reipræ Præbes, alterum præ, tanquam superuacaneum omisit. itaque tantum mansit Rei præbes. & quia sequebatur te diuisis, ut conijcio, paululum literis, hoc modo t e quidam addidit t ad Præbes, ut fieret Præbest. Id cum alius uideret non esse latinum, scripsit Praeest, quemadmodum habet uetus nostrum exemplar. Deinde cum illud e Nobis non placeret, adiecit t, ut legeretur, Et Nobis. His deprauationibus iam factis, uocabulum Qualem, quod supererat, offendebat librarium, cum nihil ad structuram aut sensum quadraret. Mutandum itaque uisum. Et primo quidem in Quale In Castrensi Contubernio uersum est, deinde cum nec hoc arrideret, nihil enim ad Quale neutri generis responde bat, in Quali demutatum est, ut cum reliquis ablatiuis ordinari posset. Vides hic mi lector fœcundam erratorum propaginem. Sic nascuntur in libris mendæ. Quemadmodum enim pestem contagio nocere constat, sic etiam in codicibus una labes recepta, complures generat. Priusquam ista mihi lectio ueniret in mentem, censebam recte castigatum locum, si sic legeretur, Omniaque Hæc Reipublicæ, Es Et Nobis Qualis In Castrensi Contubernio. Sed quia Et collationis est, & nihil præcedit ad quod fiat comparatio, cœpi ulterius inuestigare. & δευτέρων, quod aiunt, ἀμεινόνων, nisi multum fallor, in hanc tandem sententiam mendosas dictiones composui, ut totam orationem sic putem legendam,

" Triumphalis Et Censorius Tu Sexiesque Consul Ac Tribunitiæ Po
" testatis Particeps. Et, Quod His Nobilius Fecisti, Dum Illud Patri
" Pariter Et Equestri Ordini Præstas Præfectus Prætorij Eius, O-
" mniaque Hæc Reipublicæ, Præbes Te Nobis Quidem Qualem

castrensi contubernio. Cur autem hæc lectio magis mihi placeat, quàm Et Nobis Quidem Qualis In Castrensi Contubernio, facit præter alia uerbum etiam Fecisti, quod præcedit. Vide quàm oporteat esse curiosum mi lector. Laudat uero Titum Plinius à modestia qua nobiliorẽ illum esse dicit, non aspernantem bonos uiros, ut & priuatus olim fecerat, quàm summis illustrissimarum dignitatum functionibus. Porrò Castrensi Contubernio ablatiuo casu dictum est, & subauditur, in. Id quod imperitiorum gratia admoneo, ne dandi casu putent accipiendum. Fuit autem usus castrensi contubernio Titi Plinius in Germania Prouincia hauddubie, cum tribunum ille militum ageret priuatus adhuc & de imperio ne somnians quidem, quippe quod necdum pater id temporis esset assecutus. Cæterum non me fugit elegantius esse sextumq; Cos. quàm sexiesq; Cos. & præfectum prætorio quàm prætorij, quemadmodum hic eruditi legunt. Librarius noster tam fuit indoctus & supinus, ut pro Censorius tu sexiesq; Cos. scripserit, Censor iustus exiesq; consul. O negligentiam flagris dignam.

ET LONGIVS ETIAM SVMMOVES INGENII Fascibus. Volumen manu scriptum, Ingentis Fascibus habet, ut fortassis ingenitis fascibus legẽdum aliquis suspicari possit. Plinius audaciam ex familiaritate comparatam sibi superesse dicit, ut ad extrarios illos Titi honores non obstupescat, sed animo satis firmo sit. At quoties animi uires & ornamenta consyderet quibus illum esse praeditum certo sciat, fatetur sibi rursum pro securitate metum ac formidinem aliquam inijci, qua absterreatur ab operis nuncupatione. Accipit itaque ingenitos fasces pro ornamentis natura insitis. Quod si cui hæc metaphora paulo durior uidebitur, sciat similes apud Plinium & Pliniani sæculi scriptores alios reperiri. Mihi tamen placet, ut Ingenij Fascibus legatur, quippe qui uideam ex Ingeni uel Ingenij facile fieri potuisse Ingenitis, unius syllabæ adiectione, & postea abiecto i elemento Ingentis. Sic rursus in proœmio decimiquarti libri, ubi legitur. Ideoq; & ingenijs quadam sterilitate fortunæ necesse erat animi bona exercere, librarius sui similis, Ingentis scripsit pro Ingenijs.

FVLGVRAT IN NVLLO VNQVAM VERIVS DIcta Vis Eloquentiæ Tribunitiæ Potestatis Facundia. Antiquũ uolumen Facundiæ habet, quod etiã defendi possit, si repetatur aut subaudiatur Vis.

QVANTO FRATRIS AMAS.

Sic omnes legunt, & consentit etiam exemplar manu scriptum. Nec quicquam hic me torquet, ut ingenue dicam, nisi quod uideo non minus apte pro Amas, Animas legi posse. Siquidem n̄ & ī si non superponas punctulum, ad figuram m̄ literæ proxime accedunt. Quæ res librariū decipere potuit, ut pro Animas scripserit Ammas. Alius postea cum cogitaret Ammas non esse Latinam dictionem priore m̄ omisso, Amas scripsit. Non foret itaque absurda sententia sic legere. Quanto tu ore patris laudes tonas? quanto fratris animas? Nam pater iam erat omnia consecutus in profundo senio. Domitianus frater propter iuuentam adhuc erat in cursu. Tales autem benigne exhortari solemus, ut pergant. Si Amas legatur, conueniet cum illo quod Suetonius de Tito prodidit, Fratrem, inquit, insidiari sibi non desinentem, sed penè ex professo solicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit, sed ut à primo Imperij die consortem, successorémque testari perseuerauit, nonnunquam secretò lachrymis & precibus orans, ut tandem mutuo erga se animo uellet esse. Hactenus Tranquillus. Quod si hoc Titus fecit iam Imperator, conijcere facillimum est qualis in fratrem fuerit, & quantum amarit illum adhuc uiuente patre. Meam tamen coniecturā qualis qualis est, nolui cælare studiosos, cū hunc laborem susceperim, ut Plinianæ lectioni deditos iuuem, & doctos admoneam.

HAEC DOCTISSIMVM PERSIVM LEGERE NOLO, LAELIVM DECIMVM VOLO. Sic habent exemplaria typis excusa. Vetus autem codex hoc pacto, NEC DOCTISSIMIS MANIVM PERSIVM HAEC LEGERE NOLO, IVNIVM CONGVM VOLO. Videntur autem uerba Ciceronis esse in libros suos de Republica præfantis. Proinde sic distinguo, Nec doctissimis, ut subaudiatur hæc scribo. Manium Persium Hæc Legere Nolo, Iunium Congium Volo. Enimuero fieri potest, ut apud Ciceronem præcedat eo loco. Nec Indoctis Omnino Hæc Paramus, Nec Doctissimis, & quæ sequuntur. Sed spero hunc locum, tametsi nihil obscuri habet post nostram restitutionem, aliquando tamen clariorem futurum, nobilissimo illo Ciceronis opere de Republica in lucem ædito. Cuius rei tu mihi spem fecisti indyte Lasce, qui hos à te libros in regia apud Polonos bibliotheca uisos putas. Cæterum de Manio Persio, & Iunio Congio pro Lælio Decimo, ante nos admonuit magnū literarum decus Hermolaus Barbarus in initio posteriorum castigationum. At de primis duabus dictionibus nullus meminit.

Corruptelæ

Corruptelæ causa fuit, quod Manium quispiam mutauit in omnium. Vnde & Doctissimis necesse fuit uertere, non in Doctissimos, cum id non quadraret propter numerum, sed in Doctissimum, propter genitiuum sequentem.

CVM APVD Catonem Illum Amb.Hostem, ET REPVLSIS TANQVAM HONORIBVS INEPTIS GAVDENTEM. Nullus adhuc fuit, qui non uiderit INEPTIS hic inepte legi. Hermolaus Barbarus in posterioribus castigationibus scribit placere quibusdam, ut pro ineptis legatur indeptis, ut sit sensus Catonem repulsis gaudere solitum tanquam honoribus indeptis, hoc est, honoribus quos fuisset consecutus. Quæ sententia non est absurda. Quidam legunt inemptis. id quod multo minus mihi placet, quàm indeptis. nihil enim ad sensum Plinij prorsus facit. Iam & uetus exemplar Ineptis habet. Quid hic faciendum est? Opus est coniectura, quando nullum aliunde subsidium. Itaque cum hunc locum etiam atque etiam inspicerem, & elementa huius dictionis Ineptis uerterem, atque reuerterem, tandem propitio Apolline uenit in mentem, id quod non dubito uerum esse, scriptum uidelicet fuisse meritis, librarium autem indoctum pro m̄ litera ī n̄ legisse, ut fieret ineritis, idque cum non placeret, quippe quod auribus illius alienius esset, pro ineritis statim scripsisse ineptis. Ausim autem affirmare legendum hic Meritis, sicq; Plinium scripsisse. Quid enim aptius excogitari posset per Musas? Sic itaque lego, Cum Apud Catonem Illum Ambitus Hostem, Et Repulsis Tanquam Honoribus Meritis Gaudentem. Omitto hic narrare epitheton hoc honorum apud authores nullibi non obuium esse, Virgilius, Meritos aris indicit honores.

HOC SE FACERE PRO INNOCENTIA, QVOD IN REBVS HVMANIS SVMMVM ESSET, PROFITEBANTVR. In hunc modum legitur in æditionibus uulgatis. Murbacensis codex paulo aliam lectionem ostendit, nempe hanc, HOC SE FACERE QVOD TVM PRO INNOCENTIA REBVS HVMANIS SVMMVM ESSE PROFITEBANTVR. Equidem non negauerim superiorem sententiam iam receptam, si quædam subaudire uelimus, utcunque stare posse, nimirum si ibi Pro Innocentia subaudiamus Catonis, deinde in sequenti oratione Quod In Rebus Humanis Summum Esset, rursum subaudiamus Innocentem Esse. Verum cum hunc locum

curiosius excuterem, quem non recte legi duo illa uerba Quod Tum, satis arguebant in principio sententiæ posita, post longam pensitationem sic primum existimaui legendum, Hoc Se Facere, Quod Tum Porcij Innocentia Rebus Humanis Summa Esset, Profitebantur. Cũ autem nec hæc lectio modis omnibus arrideret, cœpi diligentius instare, & deprehendi sic uerisimiliter à Plinio fuisse scriptum, Hoc Se Facere, Quod Tum Portio Innocentia Rebus Humanis Summa Inesset, Profitebantur. Hanc germanam Plinij lectionem esse puto. Enimuero facile colligo quid librarium deceperit. Erat fortassis coniunctis dictionibus scriptum portioinnocentia aut transpositis elementis protioinnocentia quemadmodum sæpe accidit. id cum non intelligeret qui describebat, statim pro innocentia substituit. & putabatur oratio belle habere, propter præpositionẽ cum suo casu. Deinde cum hæc clausula, Summa Inesset, iam non conueniret amplius cum uerbis mutatis, uertit Summa Inesset in Summum Esse. nam Esse stolidus existimabat ad sequens uerbum Profitebantur pertinere. Immo uersa uice fieri potuit, ut hæ duæ dictiones Summa Inesset primum in Summam Esset mutatæ (nam frequentissimus est librariorum lapsus, ut m̄ pro ī ñ scribant, & econtrario ī ñ pro m̄ quemadmodum iam ante monuimus) occasionem præbuerint, ut Portio Innocentia in Pro Innocentia deprauaretur. Sentiebat enim quamlibet indoctus, non conuenire, ut Quod Tum Portio Innocentia Rebus Humanis Summam Esset, legeretur. Quare non contentus priori menda, Summam in Summum uertit, inuitatus etiam ad id propter præcedentes duas dictiones Quod Tum. Porrò quis non fateatur hanc lectionem multo meliorem esse ea, quàm exemplaria typis excusa continent, immo Pliniana maiestate plane dignam? præsertim cum hæc clausula Quod In Rebus Humanis Summum Esset, quæ per parenthesim includi solet, ad sensum huius loci non magnopere facere uideatur, id quod penitius intuenti facile liquebit. Proinde totam

" orationem sic legendam arbitror, Cum apud Catonem illum am
" bitus hostem, & repulsis tanquam honoribus meritis gaudentem, fla
" grantibus comitijs, pecunias deponerent candidati, hoc se facere, quod
" tum Portio innocentia rebus humanis summa inesset, profitebantur.

Quia uero Portio summa innocentia rebus humanis inerat, apte subijcit Plinius,

" INDE, INQVIT, ILLA NOBILIS M. CICERO
" NIS SVSPIRATIO, O TE FELICEM M. PORTI, A
" QVO REM IMPROBAM PETERE NEMO AVDET.

QVECVN

QVEMCVNQVE ELIGIT.

Vetus lectio Quemcunque Cum Elegit, Vt Plinium sic putem hoc epiphonema scripsisse, Adeo Summum Quisque Causæ Suæ Iudicem Facit Quemcunque, Cum Elegit Q. D. etiam inimicum.

ET IDEO IMMENSA PRAETER CAETERAS SVBIT CVRA.

Antiquus codex hæc uerba, Immensa Præter Cæteras Subit, non habet, sed tantum, Et Ideo Cura, Vt, & quæ sequuntur. Hoc autem propterea annotaui, ut lector admonitus alios libros ueteres inspiciat. Fieri nanque potuit, ut librarij negligentia fuerint omissa. Tametsi mihi suspicio uehemens, addita à quopiam recentiore esse, explanatioris sententiæ gratia.

VT QVAE TIBI DICANTVR CONDIGNA SINT.

Castigat Hermolaus Condigna, quod ante scriptum fuerat Cum Digna, quemadmodũ ipse testatur. Vetus uolumen quod apud me est, habet Tum Digna Sint, ut suspicer aliquid hic omissum, quale fortassis fuerit Cum Apta, hoc pacto, Vt Quæ Tibi Dicantur Cum Apta Tum Digna sint. Vel potius Te Indigna uersum in Tem Digna primum, deinde in Tum Digna, eo modo quo pro ī ñ si paulo distent à sua dictione, ab hallucinantibus librarijs subinde m̄ scribi solere, & ad præcedentis uocabuli postremam syllabam applicari supra monuimus. Omissum est autem Ne fortassis quod uerbo Dicantur cohærebat, hoc modo Dicantur ne, ut ex probabili coniectura talis fuerit antiqua lectio, Et Ideo Cura, scilicet est, Vt Quæ Tibi Dicantur, Ne Te Indigna Sint. Non facile autem reperias Condigni uocem apud idoneos scriptores, & qui puritatem linguæ latinæ secuti sunt.

VERVM ET DIIS LACTE RVSTICI MVLTAEQVE GENTES SVPPLICANT, ET MOLA TANTVM SALSA LITANT, QVI NON HABENT THVRA.

Vetus codex non habet, VERVM ET DIIS, sed tantum, VERVM DIIS. Præterea nec SVPPLICANT in eo legitur, nec LITANT. Mirum est omissum utrunque esse. Vix hoc casu fieri potuit. Nec tamen repræhendo, quod in libro meo non est. Eos tantum candide moneo, qui uetustos Plinij codices uel habent, uel ubi

seruentur sciunt, ut hunc locum inspiciant. Nam meus librarius diuersam lectionem inuehere uoluit, quasi sic iudicarit legendum, Multæq; Gentes E More Tantum Salsa (intellige aqua, quemadmodum etiam frigidam aut calidam usurpant autores) Qui Non Habent Thura. Sed recepta melius placet. Annotaui tantum hoc, ut magis extimulem studiosos ad inspiciendum exemplaria uetera.

AVT CASVS MIRABILES VEL EVENTVS VArios, Non Alia Iucunda Dictu, Ac Legentibus Blanda. Sic in excusis codicibus uulgo legitur. Murbacense uero uolumen sic habet, Aut Casus Mirabiles Vel Euentus Varios, iucunda dictu, aut legentibus blanda. Quæ germana mihi lectio uidetur. Nam hæ duæ uoces, Non Alia, additæ uidentur ab aliquo, qui nō existimabat alioqui uocabulū Iucunda ad casus mirabiles uel euentus uarios apte referri posse. Simili temeritate Aut in Ac mutatum est.

IMO BARBARIS, CVM HONORIS PRAEFATIONE Ponendis. In ueteri codice Etiam additur, quod in impressis omissum est, hoc modo, Imò Barbaris, Etiam Cum Honoris Præfatione Ponendis. Nō est autem ea particula superuacanea, ut eradi debeat, cū mire Plinij sententiam adiuuet. nec certe sine detrimento potest abesse.

NEMO APVD NOS QVIDEM QVI ATTENTAuerit. Hic locus in omnibus libris quos ego uiderim deprauatus est. Vetus exemplar sic habet, Nemo Apud Nos Quidem Tentauerit. Nec hoc recte. Restituenda autem lectio in pristinam faciem hoc pacto, Nemo Apud Nos Qui Idem Tentauerit. Sicque hauddubie Plinius scriptum reliquit.

NEMO APVD GRAECOS QVI VNVS OMNIA EA Tractauerit, Inuenitur. Hoc uerbum, Inuenitur, non est in antiquo codice. Proinde primum fuisse credo glossam cuiuspiam prælegentis hanc præfationem auditoribus suis, mox uero in contextum relatam. Quæ res mire uitiauit omneis autores.

VT IN FASTIDIVM SINT ADDVCTA. Qui ueterem codicem descripsit, uerbum Sint omisit. Videtur autem postremo loco positum fuisse, hoc modo, Vt In Fastidium Adducta Sint.

ET NATVRAE SVAE OMNIA. ITAQVE ETIAM NON ADSEC. Sic omnes legunt. Vetus exemplar sic habet, sed mendose, Et Naturæ Suæ Omnibus Itaq; Etiam Non Adsecu tis. Vnde conijcio sic à Plinio fuisse scriptum, Omnibus Vero Naturam, Et Naturæ Suæ Omnia. Nobis Itaq; Etiam Non Adsecu tis, Voluisse Abunde Pulchrum Atq; Magnificum Est. Facilis au tem lapsus fuit, ut Omnianobis quod cõnexis syllabis erat scriptum, ut conijcimus, in Omnibus mutaretur.

QVI DIFFICVLTATIBVS VICTI. Ex ueteri codice, legendum est Victis. Nam difficultatibus uicti resiliunt ab opere, nec pergunt. Sic etiam habet Parisiensis æditio.

ET PROFITEOR ME MIRARI LIVIVM. Manu scriptum uolumen habet, Et Profiteor Mirari Et Liuium. Su spicor à Plinio fuisse scriptum, Et Profiteor Mirari T. Liuium, Au torem Celeberrimum. Librarius indoctus cum inuenisset T lite ram prænominis indicem, solã, facile inductus est, ut adijceret e quod deesse putabat, atque Et scriberet.

ET ROMANI NOMINIS GLORIAE, NON SIBI COMPOSVISSE ILLA DECVIT. Exemplar uetus habet, Non Suæ, ut subaudias gloriæ.

SVCCISIVIS TEMPORIBVS ISTA CVRAMVS. Vetus uolumen, Subsiciuisq; Temporibus Ista Curamus. Sic itaq; distinguendum, Homines enim sumus, & occupati officijs. Subci siuisq; temporibus ista curamus, id est, nocturnis.

NE QVID NOSTRIS PVTES CESSATVM HORIS. Sic in uulgatis æditionibus legitur. Murbacense exemplar in hunc mo dum habet, Ne Quis Vestrum Putetis Cessatum Horis. Ex quibus uerbis tametsi mendosis liquet Plinium sic scripsisse, Ne Quid Vestris Putetis Cessatum Horis. Reddit autem quasi ratio nem eius quod præcedit, Subcisiuisq; temporibus ista curamus, id est, nocturnis. Sequitur uero, Dies Vobis Impendimus, officiorum scili cet gratia, cum nobis noctes impendamus.

QVOD DVM ISTA, VT AIT M. VARRO, MVSSI

TAMVS. Sic hactenus ab omnibus lectum est, At manuscriptũ uolumen hic Musinamur habet, indubio argumento Muginamur esse legendum. Est autem Muginari, autore Festo, nugari, & quasi tarde conari. Adducit Nonius Marcellus Lucilium testem, qui eo uerbo sit usus pro murmurare. Potest igitur fieri, ut Mussitamus glossa fuerit per quam Muginamur uerbũ aliquis exposuerit. Ea cum esset notior, quàm uocabulum quod exponebatur, recepta est in contextum, & uerbum è thesauro antiquitatis depromptum per librarij socordiam negligenter omissum, imò è sua possessione eiectum.

NEC FIDVCIA OPERIS HAEC EST, SED INDICATVRA. Sic quædam uolumina typis excusa habent, & antiquum etiam exemplar, quod penes me nunc est. Hoc propterea admonendum duxi, quod quidam hic legunt, Hæc Fiducia Operis Est, Hæc Indicatura, quidam Hæc Dicatura.

A FINE AVFIDII BASSI. Is qui ueterem codicem descripsit tam stolidus fuit, ut pro Aufidi scripserit Aut fide. Bassi nõ est in antiquo uolumine. Videtur adiectum ex epistola illa Plinij Cæcilij, quæ elenchum auunculi librorum & uitam continet, in qua sic legitur, A fine Aufidij Bassi XXXI. Aut forte, Vbi Sit, aliquis uertit in Bassi. Nam quidam sic deprauate legere ausi sunt, A Fine Aufidij Bassi, Eaq; Res Iampridem Per Acta Sancitur.

NE QVID AMBITIONI DEDISSE. Vetus habet, Neque ambitioni. Suspicor scriptum fuisse, Ne Eam Ambitioni Dedisse Vita Iudicaretur.

PROINDE OCCVPANTIBVS LOCVM FAVEO, ET POSTERIS. In codice uetusto sic legitur, Proinde Occupantibus Locum Faueo. Ego Vero Et Posteris. Quam lectionem annotauit etiam Hermolaus Barbarus in Castigationibus suis.

SCITO ENIM CONFERENTEM ME AVTORES DEPREHEND. Vetus, SCITO ENIM CONFERENTE AVTORES ME DEPREHENDISSE. Placet tamen, ut Conferentem legatur.

AB ADIVRATISSIMIS ET PROXIMIS. Exemplar

plar manuscriptum A Iuratissimis habet, & sic etiam docti quidā le-
gunt. Verum rogo te per Musas, quid sibi uult Plinius, cum à iuratissi-
mis & proximis ueteres descriptos ad uerbum ait neque nominatos?
Mire hic luctantur interpretes, ut sensum ex his uerbis eliciant huic lo-
co conuenientem, & Plinio dignum. Audi uero quid dicant. Iuratissi-
mos, inquiunt, uocat Plinius literatos, & quasi iureiurando doctissimos
affirmatos. Proximos autem, qui propter doctrinam propius sunt
famæ, sic enim scribunt. Et esse sensum Plinij, Scias ô Tite, conferentem
me autores deprehendisse ueteres transcriptos ad uerbum, nec nomina
tos, ab ijs scilicet, qui literatissimi creduntur, & propter doctrinam sunt
celeberrimi. Pulchra expositio. Quidam adiuratissimis legisse conten-
ti, quod hic pro coniunctissimis sit usurpatum, locum transiliunt. Hi sa-
piunt. nam intelligunt nodum esse non facile explicabilem. Nec uero
hæc citaui in medium, ut interpretes rideam, qui sedulos illorum cona-
tus probo. Alioqui si is mihi fuisset animus, potuissem fortassis nimi-
um multis locis illorum siue inscitiam, siue incuriam potius arguere.
Sed in hoc mihi sumptus est præsens castigationis labor, ut pro uirili
studiosos adiuuem, & doctos admoneam. Tametsi cælare non possum
id quod sentio, plurimum mihi displicere mutuas, & nonnunquam con
tumeliosas quorundam reprehensiones, cum neuter interim, quantum
mihi sanè uidetur, rem intelligat. Affer, inquies, tu nobis meliorem le-
ctionem. Id certe conabor. Equidem post longam hæsitationem uisum
est mihi A Iuratissimis deprauatum esse ex à furacissimis, facili
nimirum errore librarij pro f litera, quæ curuum apiculum in sum-
mo non habebat I supponentis, ut primum fieret Iuracissimis, mox
in Iuratissimis emendaretur, si dijs placet, hoc est, peius deprauaretur.
Est autem Plinij sensus, Deprehendisse se cum autores ueteres & no-
uos conferret elucubraturus Naturalis Historiæ libros, ab illis qui ma-
xima furta commisissent, & quidem recentissimis, ueterum commenta-
rios ad uerbum transscriptos, neque nominatos à quibus omnia mu-
tuati erant, immo sublegerant potius. Quidam argumentum operis
nonnunquam aliunde sumunt, sic tamen, ut accedat nouus tractandi
modus, nouum artificium, dum idem, sed diuersimode dicitur. Cuius-
modi furta sunt honesta, si tamen nec hic dissimulaueris quem sis imita
tus. Hoc insignes apud nos Poetæ & Oratores factitarunt, Virgilius in
Theocrito & Homero, Horatius in Pindaro, Tullius in diuersis. At
quàm pudenda res est, ad uerbum integros libros furatum esse, ac de
suo nihil addidisse, & tamen autoris tacere nomen quem tam insigni-
ter spoliaris, compilaueris'q;. Proinde subijcit postea, Obnoxij pro-

fecto animi & infelicis ingenij est, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cum præsertim fors fiat ex usura. Vides hic furti mentionem facere Plinium, ut respondeat ad id quod modo dixit, A furacissimis ueteres transcriptos ad uerbum, neque nominatos. Proferemus exemplum pro huius loci intelligentia. Græcinus, cuius nomen Elenchus Plinianorũ uoluminũ nõ semel continet, quẽ ego sub C. Cæsare perijsse existimo, quod apud Senecam legatur in hunc modum: Si exemplo magni animi opus est, utamur Græcini Iulij uiri egregij, quem C. Cæsar occidit ob hoc unum, quod melior uir erat, quàm esse quenquam tyranno expediret. Tametsi in uulgatis Senecæ libris Xerxes perperam legitur pro C. Cæs. Is, inquam, Græcinus Cornelium Celsum excripsit sub Augusto, ni fallor, uita functũ. Proinde fur extitit, & ꝓximus, hoc est, recens, nam Pliniũ nõ ita multis annis præcessit. Quin fieri potest, ut paulo uetustioris autoris Celsi, cuius libros descripsit, nusquam ipse fecerit mentionem, quæ res postea Plinium mouerit, ut libro decimoquarto hoc annotaret: Græcinus, inquit, qui alioqui Cornelium Celsum transcripsit, arbitratur non naturam eius repugnare Italiæ, sed culturam. Indubie uero Græcinũ, & huius similes alios hoc loco taxat Plinius, quorum tamen libri iniuria temporum interciderunt, sic ut utrique perierint, & ueteres autores & compilatores. Hæc est germana Plinij intelligentia. Expositionum uero, quas alij inuexerunt, me plane miseret. Quis enim unquam iuratissimum legit pro literatissimo, & proximum pro celeberrimo? Quid est nugari, si hoc non est? Porrò tales fures erant Poëtæ illi, qui in ludis Musarum & Apollinis (hos Ptolemæus rex pro certamine scriptorũ de eruditione & ingenio sic instituerat, ut agonas Athletarũ alij) pro suis aliena recitarũt. Quibus Aristophanes quidã sex iudicibus septimus nuper additus, contra populi reliquorumq; iudicũ sententiam, cum prætulit qui minime theatro placuisset, quem solum Poëtam esse comprobauit, cæteros uero fures, idque prolatis è regia bibliotheca uoluminibus, cuius ille diligẽtissimus scrutator erat, postea custos, è quibus excripsissent quæ pauloante pro suis recitarant, addito elogio, oportere iudicanteis, non furta, sed scripta probare. Cum his iubente rege furti actum est, & condemnati cum ignominia tandem sunt dimissi, quemadmodum eleganter narrat M. Vitruuius. In furacium scriptorum catalogo Iulius Solinus, & Macrobius numerari merentur, quorum ille è Plinij libris multa sublegit, hic è Gellianis Noctibus nonnulla mutuatus est. Nec hoc in prophanis duntaxat autoribus accidit. Habent etiam ueteres ecclesiastici suos fures, quando Origenicæ explanationes in posteriorum commentarijs nusquam non

quam non occurrunt, & Chryſoſtomum ferè referunt, quæ poſt hunc apud Græcos ſcripta ſunt.

QVAE VOLVMINA EIVS EDISCENDA. Vetus exemplar habet, QVAE VOLVMINA EIVS DISCENDA. Nonnihil ſuſpicor ſcriptum fuiſſe, Quæ Volumina Ediſcenda, abſque pronomine Eius. Cum autem primorem huius dictionis Ediſcenda ſyllabam librarius aliquo interuallo diſtantem à cæteris inueniſſet hoc fortaſſis pacto E diſcenda, ex E fecit Eius additis aliquot literis, ut expleret lacunam, & pro Ediſcenda ſcripſit Ejus Diſcenda. Poſtea doctus quiſpiam cum id ſenſus expoſceret, uertit Diſcenda in Ediſcenda manente pronomine Eius.

VELVT LACTIS. Volumen manuſcriptum habet, Vt Vel Lactis. Quemadmodum etiam in æditione Frobeniana annotatum uidere potes.

IAMIAM MVSAE. In Murbacenſi codice, Iam Iam Mos Pandectæ, legitur. Hermolaus Barbarus in Caſtigationibus ſuis quas primus ædidit in Plinium, Iamiam Muſæ uel μοῦσαι legendum cenſet. Quidam ἰὰ μοῦσαι, nonnulli μυσᾶον. Eſt & qui putet iſtud mos eradendum. Nam extat oraculum cuiuſdam Grammatici in hæc uerba, Qui non uidet his in Pliniĳ uerbis, inquit, illum moris nominatiuum redundare, longe à Pliniĳ candore eſt alienus.
Mihi uero longe ſecus uidetur. Nihil enim temere expungendum cenſeo quod in uetuſtis exemplaribus contineatur. Nam quod à quibuſdam uulgo fit, ut rerum inſignium fruſta ac fragmenta coagmentando, rem totam nonnunquam ſic repræſentent, idem in autorum ſcriptis faciendum eſt ab ĳs qui monumentis illorum qualibuſcunque, nempe temporum iniuria, hominumq́ inſcitia uitiatis ſubuenire cupiunt. Hoc igitur loco, quando Iamiam hic non ſatis apte legitur, cũ tempus ſignificet, nec rurſum magnopere quadret, ſi uel ſic accipiatur, ut aliã uim habeat, quæ ſentiɛ̃ magis quàm exprimi poſſit (nã eſt minutiſſimarũ particularũ quarundã magna apud nos uis, ut apud Græcos eorũ quæ ipſi παρέλκα uocãt, ueluti ſunt δὴ γὲ ἄρ,) ut etiam Muſæ uel μοῦσαι legere uelimus, quid fiet de altera particula Iam. nã cõſtare exiſtimamus Iam legendũ eſſe, non Iamiam. Nũ erademus? nũ in Græcũ aduerbiũ mutabimus? Nõ ſuadeo. Quid ergo faciemus? Cõnectemus duas iſtas uoculas Iam & Mos, ut inde fiat uel ἰαμμός, uel quod magis placet ἰαμμῶς.

Hoc autem argumento deprehendi Græcum hic deesse uocabulum, quod cæteræ dictiones, quæ sequuntur, iuxta Græcam formam à Plinio sint usurpatæ, uidelicet, Pandectæ, Enchiridia (sic enim exemplar manuscriptum habet, non Enchiridion,) Limon, Pinacidion, & constet Mōs Græcam terminationem esse, quæ soleat apud nos in mus uerti. Porrò ἰασμὸν uiolationem à uiolis deflexo uocabulo dicere possis. quo titulo nihil illecebrosius fingi queat. Meminit ἰάσμης unguẽti Persici Dioscorides libro primo his uerbis, ἡ δὲ καλουμένη ἴασμη παρὰ πέρσαις σκευάζεται ἐκ τῶν ἀνθῶν τῶν λευκῶν τοῦ ἴου. Quorum sensus est, Quæ Iasme uocatur, apud Persas conficitur ex albis uiolæ floribus. Cæterum si Plinius hodie uiueret, putas illum dicturum miram inscriptionis felicitatem apud Græcos esse, & non potius apud Latinos, quando Margaritæ, Stimuli, Medullæ, Fasciculi, Gemmæ, Flores, Pharetræ, Specula, Aurifodinæ, & quod huc pertinet etiam Violæ uulgò prodeunt? O blandos titulos, & suaues. Vincimus Græcos. At cum intraueris, inquit Plinius, Dij Deæque quàm nihil in medio inuenies? Imò plerunque accidit, ut lector secum cogitet ἄνθρακες ὁ θησαυρός, quemadmodum est in Græcorum prouerbio.

NOSTRI CRASSIORES, ANTIQVITATVM, EXEMplorum, Artiumque, Quàm Facetissimi Lucubrationum, Vt Qui Ait, Bibaculus Eram, Et Vocabar Pantomimus. Asserit. Varro In Satyris Suis Sustulit Et Flexibula.

QVAE hactenus uel restituimus, uel indicauimus, leuia uideri possint, si cum hoc deprauatissimo loco conferantur, in quo fermè tot sunt mendæ, quot uerba. Alibi Syrtes fuerunt in quibus naues hærent & subsistunt, at hic Scylla, hic Charybdis, & si quid his periculosius Poëtarum ingenia confinxerunt: non quod priores mendæ non fuerint insignes, sed quod hic portenta quædam sint uerius quàm errata. Luctatus est cum hoc loco HERMOLAVS ille BARBARVS non Venetiæ modo, uerũ Italiæ totius, imò Christiani orbis eximiũ in literis decus. De quo uiro quoties cogito, uideor mihi uidere M. illũ Varronem, qui inter Romanos olim doctissimi elogio ornatus est, terris postliminio redditũ. Tãta est eruditio, tanta facũdia priscæ illius æmula, tantus in æditis monumẽtis insumptus labor. Quid Paraphrastis Themistij uersione doctius, quã iuuenis elucubrauit, in q̃ si paulo luxuriantior est stilus, & in effingendis nouis uocabulis ipse ĩmoderatior, meminerimus & iuuenis opus esse, & eius q in illa Græcorũ p̃ceptorũ penuria ex

Theodori Gazæ tralationibus magnam partem Græcitatis suæ hau-serat, quem imitari pulchrum ducebat, non abhorrentem ab hac fingendi cõsuetudine, quæ res in interprete mihi uidet in primis esse tolerabilis. Cum Corollariũ in Dioscoridem lego, uideo illum nihil ignorasse: Adeo quicquid in medicina abstrusum, uel in Mathematicis subtile, uel in Dialecticis perplexum, ad unguem ille calluit. Denique cum Castigationes in Plinium scriptas intueor, deprehendo rursus non solum uariam lectionem, sed & animum excelsum nihil laboris recusantem. Quis enim Hermolaum negabit ingentis spiritus fuisse, qui cum monstris Plinianis uelut alter Hercules ausus fuerit congredi? Immo tanto mihi Hercule maior uidetur, quanto præstantior corpore est animus, cuius hic uiribus in primis res agitur. Dicet aliquis, non omnia restituit Hermolaus, omisit multa, cum Hercules nullum non monstrum sustulerit, cum quo sit congressus. Quid tum postea? Num propterea non habebimus tanto uiro gratias? Ille duodecim tantum monstris orbem liberasse prædicatur, at hic noster ab infinitis erratis Plinium repurgauit. Si tanto beneficio accepto grati non erimus, nihilo honestiores ciuilioresue iure censebimur auaris mendicis, qui egregio aliquo munere contenti non sunt, nisi totum dederis quod habes, & quantum ipsi postulent. Tales nimirum non cogitant ista nobis Hermolaum donasse gratis, nulla re prorsus obstrictum, nec ullo premio redemptum, ut huiusmodi castigationes elucubraret, nisi gratuita quædam erga studiosos beneficentia candidissimum illud pectus huc impulisset. Natus fuit in amplissima fortuna, claris natalibus, idq; in urbe splendidissima. Vnde facile est perpendere, quàm multa potuerint illum à studijs auocare, nisi fastui, uoluptatibus, & ambitioni, sanctissimo quodã proposito literas constantissime præferre perrexisset. Non igitur incessendus, si non omnia uidit, præsertim in opere tam prodigiose corrupto: imò potius magnis uehendus laudibus, qui tantum laboris in hanc rem insumpserit, ex qua minimum gloriæ solet ad autorem redire, etiam si maxima utilitas ad lectorem interim perueniat. Quis enim uelit orbi suas cogitationes patefacere, certus se uel risum, uel etiam contumeliam nõ laudem reportaturũ. Nec uideo quid magis absterrere doctos possit quo minus subueniant laceris autorum monimẽtis, quàm paratæ quorundam ociosorum sannæ: nam cum hic coniecturis opus sit, fieri non potest fortassis ut alicubi non fallare, & ubiq; recte diuines. Alliciemus autem doctos ad hunc uere difficillimum laborem, nõ subsannando, sed manũ illis præbendo, adiuuandoq;. Ergo luctatus est cũ hoc loco Hermolaus Barbarus, ut ante diximus, & duplicẽ citans lectionẽ, monstrificam

eam utranq; recte appellat. Vetus exẽplar Murbacensis bibliothecæ sic habet. Nostri Grossioris Antiquitatũ Exemplorũ Artiumq; Facetissimi Lucubrationẽ Puto Quia Vt Baculus Erat Et Vocabatˀ Paulominus. Asserit Varro In Satyri Sui Sustulit Et Flexiabula. Quis hanc lectionem non æque monstrificam uocet? Eant nunc quidam, & dicãt nullam mereri laudem, qui è codicibus uetustis aliquid reponant, tam bene habentibus scilicet, & tam pulchre castigatis. Quàm gloriosum sit nescio, laboriosissimum esse expertus sum ex deprauatis exemplaribus ueterem & germanam lectionem addiuinare. Exprobrare beneficium meum studiosis uiderer, si enumerarem hic quoties mihi inspectus sit codex manuscriptus, quoties in manũ sumptus & depositus, quàmdiu etiam aliud agẽti uetus ea scriptura obuersata sit in animo. Nam quæ Hermolaus de Bibaculo adfert, distinguens & exponens corruptam lectionem, adeo parum mihi placent, ut demirer doctissimos uiros hunc locum de mendis nõ pridem habuisse suspectum. Quotusquisque professorum hunc locum inter enarrandum non securus transilit. Saltem candoris esset admonere de re, etiam si ipse non intelligas. Scilicet Plinius tantus eloquentiæ artifex tam perplexe loquitur, & nõ potius in causa est librariorum inscitia, quæ recta sunt deprauantium? Itaq; quo magis se expedire nititur Hermolaus, eo magis se inuoluit. Mihi uero sic legendum uidetur & distinguendum, ut tandem proferam sententiam meam. Nostri Crassiores. Antiquitatum, Exemplorum, Artiumq; Facetissimi. Lucubrationem Puto, Qui Antij Ciuis Erat Et Vocabatur P. Val. Primus Asserit. Varro In Satyris Suis Sustulit Et Flexibula. Vt sit Plinij sensus, Nostri, hoc est, Latini, crassiores, subaudi sunt, quàm Græci. Inter hos qui facetissimi fuerunt, paulò festiuiores titulos excogitarunt, uidelicet Antiquitatum, Exemplorum, & Artium, de quibus tractabant. Lucubrationis titulum, nisi fallor, P. Valerius is qui Antij oppidi ciuis fuit, & ab eo cognomen habuit, dictus Antiàs, primus asserit. Varro in Satyris suis sustulit & Flexibula. Habes sentẽtiæ Plinianæ paraphrasim. Quod uero Hermolaus Sexculyxem legit pro Sustulit, non prorsus displicet propter Et coniungentem particulam, alioqui ipse ex coniectura ad quam me sanè tenuia uetusti codicis uestigia ducunt, Astruit legere mallem quàm Sustulit. Sic autem dictum est hoc à Plinio, Lucubrationem puto, qui Antij ciuis erat & uocabatur, P. Valerius primus asserit, ac si quis hodie diceret, Antibarbaros (nam exemplo res est explicanda quo clarior euadat) puto, qui Roterodami ciuis est & uocatur, D. Erasmus, primus asserit. Aut Miscellanea, puto, qui Politiani ciuis erat & uocabatur, Angelus, primus asserit. Est uero

Roterodamum, oppidum Hollādiæ: sicut Politianum Hetruriæ, quod cognomen & uitam dedit Angelo Politiano. Nunc indicemus, quantū assequi diuinando licet, quid librarios seduxerit, ut hunc locum tam fœde deprauarēt, ne quis somnium putet esse nostram castigationem, sed uideat quid me mouerit, ut sic potius legerem quàm aliter. Primum, cohærentibus syllabis scriptum erat Quiantli, id indoctior adhuc librarius mutauit in Quia Vt, & pro I maiuscula litera, cū altera minore, b pinxit, cui si parum attente obserues in scriptura non ita sunt multum absimiles. Hæc quæ nunc dico melius demonstrari possent in literis ductu calami protractis, quàm in ijs quas excusorij typi exprimunt. Sufficit tamen aliquid tenuisse. Deinde Ciuis sic erat casu scriptum ut prius lineamentum u literæ, elementi l speciem præberet, & i cum altero lineamento, nempe posteriori uideretur u esse. loco uero primarum literarum eius dictionis c & i quod inferne forent coniunctæ, & c curuitate sua in superiori parte careret, u rursus suppositum est, ut tandem fieret ulus. Iam Ii duæ literæ speciem elementi b præferentes solæ stabant. Nec placebat ulus, quod nihil significabat. Quid factum est? Librarius statuit omnino componere ex his literis & syllabis aliquam dictionem. nec erat melius consilium, quàm si ex b & ulo additis duabus tantum literis a & c faceret baculum. Itaq; pulchre procedente deprauatione quod debebat esse, Qui Antij ciuis, iam legebatur, Quia Vt Baculus. Quæ sequuntur uerba Erat Et Vocabatur neminem offenderunt. At proximæ dictiones p.ual.primus propter abbreuiationem solicitum reddiderunt librarium. Qui cum pualprimus (sic enim inuenerat scriptum) deprauatum uocabulum esse putaret, iuxta prouerbium, Sutor ultra crepidā, emendatoris assumpto officio, qui boni descriptoris partes implere nō poterat, castigare aggressus est, quod non intelligebat. Itaq; transposita ā litera, & addito ō ex p. ual. fecit paulo. Iam non placebat paulopti- mus. primus igitur uertit in minus, ut fieret paulominus. nam hæc dictio notior erat illius auribus, quem monachum fuisse suspicor, ex celebri illo Psalmographi uersiculo, Minuisti eum paulominus ab angelis. Potest etiam fieri, ut cum ualp rimus scriptum esset, ille p & a transposuerit, ut fieret paul, & o adiecto paulo, & rimus quod totidem lineamentis constat uerterit in minus. Sicq; legendum erit, Lucubrationē Puto, Qui Antij Ciuis Erat Et Vocabatur Val. Primus Asserit. Quæ lectio mihi nō minus arridet, q̃ prior. Porrò quod Bi baculus legitur in excusis exemplaribus, & fortassis etiam in nonnullis manuscriptis, doctis quibusdam debemus, qui cū uiderent Qui aut ba

culus erat, & uocabatur paulominus, nihil esse, seorsim fortassis coiecta-
tam suam annotarunt baculum in Bibaculum mutantes, hoc est, lignũ
sensu carens in dicacissimum Poëtam, & aut in ait uertentes, ac paulo-
minus in pantomimum. Qua lectione recepta, necesse fuit Erat & Vo-
cabatur tertiæ personæ uerba in primam commutare. Enumerauimus
iam multos deprauationis gradus. Nec dubito quin multi meam hanc
diligentiam quasi superstitiosam quandam anxietatem sint irrisuri,
quod in literarum minutijs expendendis religiose uerser. Sed quid fa-
cias? Video hoc negocium esse tale, ut qui id rite exequi uelit, omnino
repuerascere ad tempus cogat. Nec aliud in causa fuit, quantum ego iu-
dico, quo minus feliciter quædam Hermolaus restituerit, quàm quod
ad indices autorum aliquando recurrere maluit, quàm in uestigijs uete-
rum codicum diutius laborare. In hũc modum ex Aristotele, Aeliano,
Theophrasto similibusq; autoribus sensum nonnunquam uerius re-
stituit quàm uerba, tametsi mihi sensus nõ satis restitui uidetur, nisi uer-
bis recte castigatis. Equidem meo iudicio nuda emendatio, sed quæ fe-
lix sit, multo plus prodest, quàm prolixa dissertatio innumeris commu-
nita testimonijs, uerum ad rem parum pertinens. Atq; hæc est Magia
mea, qua tot egregia loca restitui in hoc autore. C. Furius Cresinus cum
propter fructuum ubertatem, quos ex modico agello percipiebat mul-
to largiores quàm ex amplissimis uicini, in suspicionem uenit ceu fru-
ges alienas pelliceret ueneficijs. Die dicta cum sibi timeret, instrumen-
tum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam ualidam, ferra-
menta egregie facta, graues ligones, uomeres ponderosos, boues satu-
ros. Postea dixit, Veneficia mea Quirites hæc sunt, ut Plinius noster
scribit, cuius fermè uerbis usi sumus. Ita possum & ego dicere, meo inue-
stigandi modo in medium prolato, Magia mea ô studiosi hæc est.
Paulo copiosius autem nonnunquam coniecturas meas explicui, non
ostentationis causa, sed ut alios ad idem agendum instruam animemq;
que. Quod si gloriæ studere uoluissem potius quàm communi studio-
sorum utilitati, & rem uerbis exornare, quis non uidet quanti uolumi-
nis materia hæ castigationes esse potuissent. Idem cum in Velleio Pa-
terculo, Panegyricis, & alijs innumeris ante libris, quos longum esset
enumerare, tum in primis in Tertulliano fecimus, autoribusq; sacræ hi-
storiæ Eusebio, Theodorito, Socrate, & Sosomeno. Tertullianus orbi
incognitus erat, & mendis mirum in modum obsitus, id quod adhuc
exemplaria uetusta testantur, quæ Hirsaugiæ, Romæ, & alijs locis asser-
uari scimus. illa inspiciat qui scire uelit quid nos in eo autore præstiteri-
mus, nec mirabitur, qui hoc fecerit, non omnia à nobis fuisse restituta.

propter incredibilem exemplarium corruptionē. Inueniet autem multa in ipso contextu reposita, non tantum marginarijs coniecturis uetustissimum scriptorem adiutum. Historia sacra nōnihil deprauata erat, & posterior eius pars quam Tripartitam appellāt longe corruptissima, ut hanc nemo non iudicaret lectu indignam. Et hic neutiquam cessauimus. Priorem certe laborem nostrum ornatissimus Olomucensis ecclesiæ Episcopus STANISLAVS TVRZO cui ipsum opus inscripsimus, magnifico, raroq́ꝫ munere prosecutus est. Alterum cum ego tātum de agendis gratijs cogitarem simili dono liberalissime condecorauit. Quem uirū, in hoc, à deo terris concessum arbitror, ut esset qui hoc seculo Mecœnatis illius Romani imaginem nobis referret. nam ipse literis excultissimus, literatos & amat, & fouet, non ut Midæ quidam humaniores paulo faciunt, qui quo docti fuisse existimentur aut fauisse literis, huiusmodi inscriptiones ambiunt. Eius ad me epistolas quoties lego, uideor mihi uidere coràm eximium illud miri candoris pectus. ita amice scribit, ita quod sentit, exprimit, idq́ꝫ cum latine tum elegātet. Quem ille doctorum, modo foret occasio, nō singulari liberalitate prosecutus est? cuius ille ocium de quo bene speraret non aluit? quis cum rogasset sine subsidio dimissus est? quid dico rogasset, immo cum indicasset tantum. Modestia uero tanta præditus, ut quanquam in summi honoris fastigio sit constitutus, nihil tamen uspiam uel superbiæ, uel arrogantiæ habeat. Hinc illa morum incredibilis facilitas ac summa mansuetudo, comisq́ꝫ humanitas, & humana comitas. Nam de integritate uitæ quàm sit ab omnibus inquinamentis ac uitijs pura, quid attinet multa dicere? Heroëm aliquem putares è priscis illis seculis relictum, tam sanctus est, & in bene agendo tam pulchre sibi constans. Prudentiam porrò hominis non solum Olomucensis ciuitas subinde sentit, sed & finitimi reges ac proceres iam olim in maximis rebus experti sunt. Talem nobis principem insignis illa Turzonū familia dedit, quæ tametsi multis nominibus commendatur, erit tamen apud posteros uel ob hoc longe illustrior, quod STANISLAVM tot dotibus incōparabilē Heroëm ædidit. Vtinam aūt cæteri principes huius Antistitis institutū æmularentur. Tum ausim polliceri, literas pristinam dignitatem proxime uendicaturas. At horum bona pars adeo non muneribus adiuuat Musarum cultores, ut ne uerbis quidem animare dignetur. Verum nos ad propositum reuertamur, Valerius Antiâs, cuius nos hic nomen uelut ab inferis reuocauimus, is ille est, quem toties in hoc opere testem Plinius aduocat. In primo libro, qui reliquorum uoluminum elenchus est, tantum Antiatis nomendatura non etiam Valerij sæpe legitur, id

 quod

quod ad locum nostrum facit, ubi restituimus, Qui Antij ciuis erat & uocabatur. Lucubrationis autem titulum, ut coniicio operi historiarum suarum indidit, quas eum scripsisse ex autorum citatione constat. nec satis scio an in carmen competat talis inscriptio, orationi prosæ libentius accommodarim. Aduersus Hannibalem sub Valerio Leuino militasse fertur. Vnde esse eum ueterem apparet. Fuit autem Antium oppidum Latinorũ, tametsi id Volscis attribuere uidetur Liuius, Romana quondam colonia, Fortunæq; delubrum habuit insigne. Obsederunt Antiũ Marius & Cinna, ac expugnarunt. Huius quoq; ciuis commemoratur Furius Antiâs Poëta, cuius mentionẽ fecere Macrobius & A. Gellius. Cæterum quæ afferuntur ab alijs pro recepta lectione cõfirmanda de Furio siue Fusio Bibaculo, non uisum est operæpretium pluribus redarguere, quãdo per ea quæ nos aliam lectionẽ inuehentes annotauimus, illa satis refelluntur, nisi si quis cõtentiosior est, quàm ut se edoceri sinat. Talis suum sibi Bibaculum seruet, nos illi nihil inuidebimus.

ET BIBLIOTHECAS HISTORIAM SVAM INSCRIPSIT. Vetus codex Bibliothecis habet. Vt legendum uideatur Bibliotheces, quemadmodum castigauit & Hermolaus Barbarus, & in impressis omnibus fermè libris legitur.

QVONIAM PVBLICAE FAMAE TYMPANVM. Exemplar Murbacense, Quoniam Præ Fame habet. Putabam Pliniũ de pauperie Appionis loqui, qui ob famẽ uideri posset tympanũ q̃d extenta pelle cõstat. Verũ postea uenit in mentẽ, publicũ semper in præ uersum ab eo qui Plinianũ exemplar, quod penes me est, descripsit, quod ueteres hac nota uidelicet p̄, publicũ denotarint quæ nobis præ uulgo significat. De q̃ supra etiã memini. Ego mallẽ hic legere Quom pro quoniã. Et potest fieri, ut librarius quom scribere uolens, scripserit qm̃. Eiusmodi enim abbreuiationem uolumen manuscriptum habet.

ET NE IN TOTVM VIDEAR GRAECOS INSECTARI, Ex Illis Nos Velim Intelligi, Pingiq; cõditoribus. Id primo sciendũ est, in ueteri libro non Ex Illis Nos Velim: sed, Ex Illis Mox Velim Intelligi Pingiq; Conditoribus. Quæ postrema uerba nõdũ est repertus, qui perite explicarit. Quid enim sibi hoc uult, Pingiq; Conditoribus. Torsit hic nodus multos, receptam istam lectionẽ mutare etiam ausos. nam quidam Pingendi Conditoribus legunt pro Pingiq; Conditoribus. Quidam pro Conditoribus substituunt coloribus. Mihi neutra lectio probatur, nec placet antiqua quam mẽdosam esse liquet. In manuscripto codice quippiam aliud fuisse scriptũ uideo, nam

nam extat rasura post Pingi (quod tamen aliud fuit, quàm pingi) elementorúmque expunctorum loco que particula suprapoſita eſt in ſummo. Quare prima mea coniectura erat, ſcriptum fuiſſe Pictoribus tantum, diſtantibus inter ſe literis & ſyllabis, ut fit, hoc pacto fortaſſis p i c toribus, idq́ꝫ ab aliquo ſciolo ſuppletis lacunis iſtis in Pingiq́ꝫ Cõditoribus mutatũ, propter Apellẽ qui ſequitur, quod Pictoribus debebat eſſe. Deinde cum cogitarem quàm exacte loquantur autores, & uiderem etiam Polydeti mentionem fieri, qui pictor non fuiſſet, ſed ſtatuarius, nullo modo mihi ſatisfaciebat quod inueneram. Cœpi itaq́ꝫ diligentius laceras ueteris lectionis ruinas inſpicere, & poſt longum incredibilemq́ꝫ laborem, tandem è ueſtigijs hoc erui, ut à Plinio ſcriptum exiſtimem iconon, ſiue potius εικονων autoribus. Cum autem ω ſimile ſit co latinæ ſyllabæ, facile factum eſt, ut ων autoribus mutaret in conditoribus, & εικον quod ſupererat primũ in pingo mox in pingiq́ꝫ. Enimuero poſſunt cũ pictores tum cælatores aptiſſime dici autores. Sic enim Plinius noſter lib. 35. uocat, ubi ſcribit Græcorum diligentiã multas poſt Olympiadas celebraſſe tam pictores quàm ſtatuarios autores, qui locus in uulgatis æditionibus male habet, & deeſt mihi uolumen id manuſcriptum, quod poſtremos eos libros complectitur. Et hic infra. Quo apparuit, inquit, ſummam artis ſecuritatem autori placuiſſe. An uero recte pictorem appellemus conditorem neſcio, hoc ſatis conſtat, etiam ſi pingens aliquid cõdere diceret, hãc tamen lectionẽ ineptã eſſe ut Pingendi Conditoribus ſcribat. Hæc & alia huiuſmodi monere debebãt interpretes, & nõ ſatis putare, ſi dixiſſent Cõditoribus, id eſt, cõpoſitoribus, ut legũ conditores dicunt. Significat autem Icon ſiue Græce εἰκων imaginẽ, quæ exemplar omnibus lineamentis exprimit uel ſculpta, uel picta, παρὰ τὸ ἐοικέναι τῷ ἀρχετύπῳ, quod exemplari uidelicet aſſimiletur. Equidẽ apud Olympiã eorum, qui ter ibi ſuperauiſſent, ſtatuas dicari mos erat, ex membris ipſorum ſimilitudine expreſſa, quas Iconas uocant inquit Plinius lib. 34. Idẽ proxime ſequẽti libro, Panæũ Phidiæ fratrẽ in pictura qua præliũ Athenienſiũ aduerſus Perſas geſtũ expreſſit, Iconicos duces pinxiſſe tradit, Athenienſiũ qdẽ, Miltiadẽ, Callimachũ, Cynegirũ: Barbarorũ aũt Dariũ & Thyſſaphernẽ, adeo colorũ iã uſus increbuerat, adeo ars perfecta erat. Hinc Iconici pictores appellantur, qui omnibus lineamẽtis ad exẽplar expreſſis rem repræſentãt. Quales apud priſcos multi extitere, apud Germanos hodie ſunt inter primos clari, Albertus Durerius apud Norimbergã, Argẽtorati Ioãnes Baldugnus, In Saxonibus Lucas Cronachius, Apud Rauricos Ioannes Holbeinus Auguſtæ Vindelicorum quidem natus, uerum iamdiu Baſilienſis ciuis,

fis ciuis, qui ERASMVM nostrum Roterodamum anno superiori in duabus tabulis bis pinxit feliciſſime, & cũ multa gratia, quæ postea sunt in Britanniam transmiſſæ. Quod si tanta dignatio picturæ esset apud nostrates, quanta fuit olim apud Græcos & Romanos, non dubito quin spe laudis atq; commodi proposita, diligentiori exercitio ad artis consummationem peruenire facile possent. Nam uerisſimum est illud, Honos alit artes. Apud Græcos Philostratus Iconibus duos libros dicauit, qui singulari elegantia Attici sermonis commendantur. Porrò, quod ad opera pertineat titulo pendenti inscripta ab Iconon autoribus, refert Angelus Politianus in Miscellaneis suis, marmoream quandam ueluti basin Romæ se uidisse, in qua Græce sic esset ΣΕΛΕΥΚΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΛΥΣΙΠΠΟΣ ΕΠΟΙΕΙ. Id Latine ualet, SELEVCVS REX. LYSIPPVS FACIEBAT.

VELVT EMENDATVRO QVICQVID DESYDERARETVR. In ueteri libro, Desyderetur legimus.

ET TANQVAM ALIQVID SINGVLIS FATO SIT ADEMPTVM. Murbacensis codex habet, Et Tanquã Singulis Fati Adempti. Quare sic à Plinio scriptum fuisse uidetur, Et Tanquam Singulis Fato Adempti. Atq; hæ duæ dictiones Aliquid & Sit à castigatoribus temere sunt adiectæ, cum Adempti in Ademptum mutassent. Est autem sensus optimus. Quare plenũ uerecundiæ illud, quod (uetus exemplar habet Quam, nõ Quod, ut forte legendum sit Qua s. uerecundia, me tamen non approbante.) omnia opera tanquam nouisſima inscripsere, & tanquam singulis fato adempti, hoc est, priusquam absoluerent, mortui.

TRIA NON AMPLIVS, VT OPINOR, ABSOLVTE Quæ Traduntur Inscripta. Antiquum uolumen sic habet, Tria Non Amplius, Vt Opinor, Absolute Traduntͬ Inscripta. Nec Quæ Pronomen quicquam ad sensum facit, ut multum mirer quis eam particulam hic insulserit.

NEC HIS SOLIS, SED ET OMNIBVS QVAE AEDIDI. Vetus exemplar non Quæ Aedidi, sed Quos Aedidi habet. Subauditur enim libellis, cum inquit, Nec His Solis, Sed Et Omnibus. Vocat supra leuioris operæ libellos. Et deinde, Quos in libellis his, inquit, inuenies. Et quæ illic sequuntur.

VT OBITER CAVEAM ISTOS HOMEROMASTIGAS. In exemplari Murbacensi librarius pro Obiter supposuit Ob Id, offensus, ut uidetur, huius uocabuli nouitate. Nec uero commode possunt ad id quod praecessit, ea particulae referri.

ITA ENIM VERIVS DIXERIM, QVAM VT AVdio, Stoicos Et Dialecticos, Et Epicureos Quoque. Nam De Grammaticis Semper Expectaui Parturiri Aduersus Libellos Quos De Grammatica Aedidi. Et Subinde Abortus Fecere Iam Decem Annis, Cum Etiam Celerius Elephanti Pariant. Haec est uulgatarum aeditionum lectio. Vetustum autem uolumen sic habet, Ita Enim Verius Dixerim Quoniam Audio Et Stoicos Et Dialecticos Epicureos Quoque. Nam De Grammaticis Semper Expectaui Parturire Aduersus Libellos Quos De Grammatica Aedidi Et Subinde Abortus Facere Iam Decem Annis Cum Celerius Etiam Elephanti Pariant.

Satis indicant cum aeditiones omnes quas adhuc uidere contigit, tum uero Commentarij complusculi in Praefationem Plinianam scripti, locum hunc adhuc parum intellectum. Quem ut exponere aggrediamur, in primis monemus, Zoilum superbissimum Homeromastigos cognomen adoptasse sibi priusquàm è Macedonia ad Ptolemaeum Aegypti regem Alexandriam uenisset: nec aemulationis studio contra diuinissima illa Poëtarum principis Homeri opera scripsisse, uidelicet ut cum parente omnis eruditionis certare uellet, aut studiosis prodesse, sed tantum ex inuidentia quadam ac arrogantia, taxationem summi uiri impudenter aggressum. Quae historia notior est, quàm ut hic prolixa narratione egeat. Verum inspiciendum est, quatenus ad sensum Plinij faciat. Id quod subindicauimus modo, sed pluribus deinceps aperiemus. Aediderat Plinius libellos de Grammatica, qui mihi uidentur prima pars fuisse uoluminum, quae ipse Studiosi inscripsit, quandoquidem illis (ut Caecilius autor est) Oratorem ab incunabulis instituit & perficit, quod absque Grammatica certe fieri non potest. Aduersum eos libros non solum Grammatici, quod utique ferendum erat, & ad quos hoc proprie pertinebat, uerum etiam Philosophi, si dijs placet, nempe Stoici quidam rigidi illi uirtutis satellites, Dialectici argutiarum sectatores, & Epicurei uoluptatibus alioqui magis quàm insectationibus dediti, id quod magis Cynicorũ erat, sese scripturos minabant: hauddubie nõ ut iuuarent studia, sed ob hoc unũ ut reprehenderẽt, ad maledicẽdũ nati. Nã quid ad Philosophos ptineat, de Grãmaticis supflue disserere, alijs hoc feliciter agentibus, nisi huc illos traheret

pessimus obtrectādi morbus. Hos quo nomine donet Plinius? Aemulos uocet? Id sane conueniret, si Grammatici soli hoc facerent. Criticos, Aristarchos appellet? at quid ad philosophos pertinet rerum Grammaticarum cēsura? Aduersarios nominet? uerum hoc nimis fusum est, Homeromastiges aptissime dicentur. nec est uocabulum quod magis in istos quadret, mores & institutum ipsorum exprimēs, quod ut Zoilus meris conuitiis in Homerum debacchatus est, cum nihil occurreret alioqui quod reprehenderet: sic Philosophi isti, quorum est disputare de uirtute, & ad hanc homines animare, tantum inani quadam curiositate, nec ullius commodi uel sui, uel alieni gratia adducti, contra libellos de Grammatica se scribere minentur, non detrectaturi crucis etiam supplicium, in quam actum ferunt Zoilum, modo animum rixis plenum contentioso maledicoque argumēto semel recrearint. Atque hoc est quod paulopost dicit, Quid enim illi, inquit, aliud quàm litigant, aut litem quærunt? Cui morbo utinam inter Christianos hodie nemo obnoxius esset. Quadrabit autem nihilo minus Homeromastigon nomen etiam in Grammaticos ob eandem rationē. Eos quidem obtrectatores, nempe Philosophos, & nihil aliud quàm obtrectatores, cum in hac harena parum præstare queant, inquit Plinius, audio iam parturire decem annis aduersus libellos quos de Grammatica ædidi, & subinde abortus facere. Nam Grammaticos diuinabam (ut est inquietum hominū genus) aliquid molituros, at de Philosophis nihil tale expectabam, nimirum contemplationi rerum altissimarum deditis. Quod si non desunt, qui cōtra libellos quos de Grammatica ædidi se scribere minētur, an non putem exorituros, qui hos libros Naturalis historiæ arrodant, suggillent, damnent, ut in quibus multa desyderentur, quandoquidem in libellis illis meis de Grammatica quædam desyderant. Vt tales obtrectatores obiter hic caueam, plane confiteor meis multa adiici posse. Deinde si fieri non possit, ut tales euitem, non multum curo, cum sciam idē maximis uiris accidisse, Theophrasto & Catoni Cēsorio. Enimuero mirari satis nō possum, hunc locum tam misere fuisse tractatum, nec recte distinctum, aut à quoquam intellectum. Rogo quis unquam legit parturiri in passiua uoce usurpatum? In causa fuit harum deprauationum (nam & Facere quod mox sequitur in Fecere mutatū est) quod existimarunt docti ibi NAM DE Grammaticis Semper Expectaui, nouæ sententiæ esse principium, cum ea uerba quasi per Parenthesim inclusa legi debeant. Sic itaque totam orationem legēdam & distinguendam censeo. EGO PLANE MEIS Adiici posse multa confiteor. nec his solis, s. libellis, sed & omnibus quos ædidi, ut obiter caueam

istos Homeromastigas. Ita enim uerius dixerim, quoniã audio & Stoicos, & Dialecticos, Epicureos quoque (nam de Grammaticis semper expectaui) parturire aduersus libellos quos de Grammatica ædidi, & subinde abortus facere iam decem annis, cum celerius etiam Elephanti pariant. Hactenus Plinius. Porrò non puto futurum quenquam, qui non dicturus sit hanc esse germanam ac synceram Plinij lectionem. Certe sensus nunc non posset esse lucidior.

CEV VERO NESCIAM. Vetus codex habet, CEV BERONIS ETIAM ADVERSVS TH. Vt non aliter legendũ sit, quàm incomparabilis ille bonarum literarum antistes, Hermolaus Barbarus restituit, nempe Ceu Vero Nesciam. Siquidem B pro V positum subinde reperire est in uetustis libris. Deinde primorẽ syllabam huius uerbi Nesciam in Nis uertit indoctus librarius, ut fieret non Veronis, sed Beronis genitiuus, quod proprium nomen est, sed Barbaricum, nempe Germanicũ, eius nimirum seculi quo Pliniana hæc uolumina descripta sunt. Id Latine significat Vrsum. Simile est Bernonis uocabulũ. Supererant duæ syllabæ uerbi Nesciam, posteriores, uidelicet Ciam, ex his adiecto ē fecit Etiam. Vide te meritatem librariorum. Hæc non fueram annotaturus, quod uiderem Hermolai lectionem etiam in uulgatis quibusdam æditionibus extare, nisi forent quidam, qui CERNIMVS legendum existimarent. Nõ quod negem Cernimus esse parum latinum uerbum, sed quia non sic scripsit Plinius, quantum ex uestigijs antiquæ lectionis conijcere datur. Alioqui si quiduis substituere licet modò oratio nõ aperte reclamet, cur Cernimus potius hic legemus, quàm uel Accepimus, uel Constat, uel Scimus, uel aliud quippiam. Iam hæc uerba, Ceu Beronis Etiã, quidã ausi sunt mutare in C. Tuberonis, quasi historiã istam de Theophrasto Plinius è Tuberone desumpserit. Cum tamen citet libro secundo Naturalis historiæ non C. sed Q. Tuberonem. Hoc uero non est restituere, quod temere tibi in mentem uenerit, scribere, nisi ipsa deprauati loci uestigia sic uel sic legendum persuadeant. A quibus, quantum fieri potest, non est recedendum. Nam in mendis ueterum librorum non aliter sepulta syncera lectio latet, ac in purgamẽtis officinarum aurariarum uel argentariarum nobilissima metalla. Nec uero opifices ab euerrentibus eijci sinunt ea purgamenta, sed accuràte conseruant, donec per peritum eius artis abluendo discernantur. Si hoc faciunt aurifices in metallis, quæ certe uilia sint, si cum autorum conferantur monumentis, quã libet alioqui preciosa censeantur, cur nos ueteres codices ideo quod de-

prauati sint,& syncæris mendosa multa admixta contineant,negligi,cõculcari,abijciq; patiamur? Si nihil aliud doctos mouet,saltim consyderent quot ego loca in hac præfatione,quæ nulli non castigatissima ante uidebatur,adiutus exemplari quidem ueteri,sed tamen mendosissimo, restituerim,de quibus alioqui mihi quoq; nunquam uenisset in mentẽ, nisi per antiquum,licet corruptissimũ,ut dixi,codicem admonito. Equidem sine manuscriptis libris in hoc negocio nihil agitur. nam coniecturæ non è uestigijs ueteribus desumptæ sæpissime fallunt. Aperiemus rẽ exẽplo. Christophorus Longolius eruditissimus inuenis,& ad eloquentiam natus,ad quam se elegãtissime exercebat, profecto dignus longiore uita multis de causis,in Plinio non pauca restituere conatus est, uerũ quantum ego è quibusdam locis obiter deprehendere potui,cum Pariensem æditionem euoluerem, cõiecturis plerũq; proprijs, uel ratione stili,uel quod aliter hoc alibi lectum sit. Fallax est hic modus. Mihi magis placet institutum Guilielmi Budæi,uiri laudatissimi, qui seculũ nostrum cũ primis illustrat,posteros etiam scriptis suis adiuturus. Dij boni,quàm multa loca nobis ille restituit in Pliniana historia subsidio plerunq; uetusti uoluminis, quibus Assem suum non inepte locupletauit. Nam exemplaria uetusta nusquã consulere dedignatur. Vtinã id opus diligentius inspexissem ob quendam locum,priusquam ipse castigationem eius aggrederer. Ademisset mihi certe multum laboris. sed de hoc postea dicemus. Proinde uos qui doctrina præcellitis,& succurrere cupitis reip. literariæ,ueterum monumenta castigando, memineritis non solum Plinio, sed & cæteris bonis autoribus fortassis deprauatioribus quàm putatis,nisi hac uia cõmode subueniri nõ posse. Itaq; exẽplaria antiqua

Nocturna uersate manu,uersate diurna.

ET PROVERBIVM INDE NATVM ARBOREM SVSPENDIO ELIGENDAM. Vetus codex habet Eligendi. Vt sic ordines, Et Prouerbiũ eligendi arborẽ suspẽdio,hoc est, ad suspẽdiũ, inde natũ.

QVI OBTRECTATIONE ALIENAE SCIENTIAE FAMAM SIBI AUCUPANTUR. In antiquo uolumine sic legitur, Qui Obtrectatione Aliena,Scientiæ Famam Sibi Aucupantur. Sensus est, Obtrectant alijs,ut ipsi interim docti uideantur.

QVID ENIM AD TE IN MEO VOLVMINE? Sic omnes legunt,quasi sint uerba Catonis,quærẽtis quidnã ad nescio quẽ pertineat in suo opere De re militari. Itaq; sequentẽ clausulã sic rursum legunt &

legunt & distinguunt. Scio Ego Quæ Scripta Sunt, ut sint eiusdem uerba respondentis, suum sibi librum notum esse, & scire quid ad illum amicũ pertineat, nempe sententiam istam quam mox subdit, Hæc Si Palàm Proferantur, & quæ sequuntur. Dij deæꝗ in quos anfractus, imò in quæ præcipitia aberrarunt hic docti uiri, dum exemplaria uetusta consulere negligunt, nec quisquam è ruinis corruptæ lectionis synceram restituit? Quæ hic somnia hactenus secuti sumus? Quàm egregiè se ulciscitur contempta antiquitas? Manu scriptum uolumen sic habet. Quid Enim Atteneo Volumine Scio Ego Quæ Scripta Sunt Si Palam Proferantur. Quare nihil dubitem asseuerare sic Plinium scripsisse. Quid Enim Ait In Eo Volumine? Quæ uerba non Catonis sunt, sed Plinij, post longum hyperbaton & prolixam orationem renouantis promissæ allegationis mentionem, ut etiã alias fieri solet, his plerunꝗ uerbis, Sic enim ait, sic enim scriptũ reliquit, hæc enim illius sunt uerba, & similibus locutionibus. Ergo Plinius cũ dixisset, Nequeo mihi temperare, quo minus ad hoc pertinentia ipsa Censorij Catonis uerba ponã, ut appareat etiam Catoni de militari disciplina cõmentãti, qui sub Aphricano, imò uero & sub Hannibale didicisset militare, & ne Aphricanũ quidem ferre potuisset, qui imperatot triumphũ reportasset, paratos fuisse istos, qui obtrectatione aliena, sciẽtiæ famã sibi aucupantur. Audisti longam periodũ. Iam poterat aliquis oblitus esse Catonis, cuius se uerba positurũ supra dixit. Renouaturus ergo memoriam eam, subdit: Quid Enim Ait In Eo Volumine? subaudi Cato Censorius. In Eo Volumine, puta, De disciplina militari. Nũc sequuntur uerba Catonis, nempe hæc, Scio ego quæ scripta sunt, si palàm proferantur, multos fore qui uitilitigent, sed ij potissimũ qui ueræ laudis expertes sunt. Hoc nimirũ pacto cohæret Pliniana sententia, quæ alioqui imperfecta est. Atꝗ has mendas nõ librarijs debemus, sed doctis quibusdam, qui parum cõsyderantes quid Plinius dicere uellet, dum temere castigant, pessime, periculosissimeꝗ hunc locum deptauarunt. Illi enim hoc nobis somnium inuexerunt Catonis quærentis, & sibi respondentis, Quid Enim Ad Te In Meo Volumine? Scio Ego Quæ Scripta Sunt. Deinde cum imperfecta foret sequens sentẽtia, Si Palam Proferantur, addiderunt particulam Hæc, ut tale tandem esset initium Catonis uerborum, quæ tam grauatim profert, Hæc Si Palàm Proferantur, Multos Fore Qui Vitilitigent, Sed Ii Potissimũ Qui Veræ Laudis Expertes Sunt. Vide quàm sacra res sit castigare libros, & quàm religiose, circumspecteꝗ tractanda. Alibi fortassis laudẽ mereatur festinantia, at in hoc negocio nihil magis obest. Candidos uiros in his

& similibus locis deceret ingenue testari,uel uitiatā esse sententiā,uel intelligētiā nō liquere. Verū tales sumus,ut omnia scire uideri uelimus,& nihil ignorare. Interim imponimus crassis lectoribus & stultis auditoribus,hoc uno freti,q͂d mūdus iudicio caret,& maiore studio nōnūq̃ indocta amplectitur.

MVLTOS FORE QVI VITILITIGENT. Sic Hermolaus legit,admonitus per Fabritium Camertem,ut ipse testat. Quidam legunt, Qui Ita Reprobent, Vt Eligant. Quemadmodū ibidē indicat Hermolaus. At manuscriptum exemplar tantum habet, Qui Vt Eligant. Proinde facile apparet,hæc duo uerba, Ita Reprobent, ab aliquo docto fuisse adiecta,qui uoluerit imperfectam Plinij sententiam hoc pacto supplere & adiuuare. Sic autē irrepunt in scripta ueterū mendæ. Doctus aliquis annotat in margine libri sui cōiecturā,quæ forte uenit in mentē,non quod approbet,sed quia sic uidet legi posse. Deinde studiosus quispiā, præceptoris sui,uel eius quē aliâs sectatur inspecto libro statim ueluti oraculum arripit, quod illi leuis coniectura suggesserat. Et iactans ueluti rem magnā ac plane triumphans, sic,inquit, legit Beroaldus,sic Sabellicus,& proculdubio nō aliter legendū est, Statimq̃ eradit ueterē lectionem,& nouā istam infulcit. Nec uero nisi charissimis sodalibus & uix his quidē huiusmodi mysteria cōmunicat. Hæc res nō minus deprauauit nobis Pliniū,quàm librariorū ueterū inscitia. Interpolata eñ nimiū multis locis huius autoris uolumina habemus, nec syncera,per sinistrā eruditorū quorundā diligētiā. De quo posthac etiam dicet. Nunc nostram sententiā proferamus, Mihi legēdum uidetur hoc modo, Multos Fore Qui Vellicent. Sic aūt Vellicent deprauatū fuit in Vt eligant,quemadmodū cōijcio. Scriptū enim erat id uerbū primore litera paulo separatiore à cæteris,hoc pacto, V ellicēt. Quia uero g pro c subinde solebat à uetustioribus poni, facile ex Ellicent factū est Eligent. Iam V nihil significabat solitariū,huic librarius t adijciundū putauit, ut fieret Vt. Hoc facto necesse fuit Eligēt in Eligant mutare,exigēte id particula Vt. Sicq̃ pro Vellicent scribi cœpit Vt eligant. Quæres forsan,cur mihi nō placuerit illud Vitilitigent. dicā. Primū uidebam hoc uerbū non esse tā insolens,præsertim quantū ad posteriorē partē attinet, ut offendere debuerit librariū. Saltem enim litigent scripsisset,priori compositionis particula omissa. Hoc fuit unū argumentū. Alterum erat, quod uerbum hic requirebam actiuæ significantiæ cuiusmodi Transitiua uocant Grāmatici, quod cū subintellecto accusatiuo Ea apte copularet. nam sic interpretabar ego orationē Catonianam: non quod ignorem aliter etiā exponi posse, sed

hue

huc spectabā. Tale non est Vitilitigent. Adde quod Plinius quidē testatur Vitilitigatorū usum uocabulo Catonē ex Vitijs & Litigatoribus cōposito, nec tamen cōsequitur Vitilitigare sic apud eundē usurpatū, propterea quod uerbalis (ut uocant) nominis formam illud imitetur. ego sanè nolim id affirmare, nullo extāte ex idoneis autoribus testimonio, nisi quod recentiores quidā per hūc Plinij locū inducti, sic loquunť. Vellicare uetus & mire elegās uerbū est, ac Catoni cōgruens. Horat. Vellicet absentē Demetrius.

EORVM EGO ORATIONES SINŌ PRAETERFLVERE. Sic habent codices formis excusi. In hunc modū autē legitur in exemplari manuscripto, Eorū Ego Orationes Sibi Praeter. Mira uarietas lectionis. Apparet & hic doctos mendosum locū emēdare uolentes, deprauatiorem reddidisse. Si dicam hic quantum laborarim, fortassis quidā non credent, toties uerti dictiones in omnē modum, & syllabas cū syllabis, elementa cū elementis, contuli. Ineptire enim iuuabat in gratiā studiosorū & reip. literariae. Deprehendi uero statim haec uerba Sino & Fluere à doctis addita, sententiae Plinianae subuenire conātibus, quae alioqui nihil significabat. Quid enim ex his uerbis eliciatur, Eorū Ego Orationes Sibi Praeter? Oedipo coniectore opus sit. Enimuero cū in ipsa inuestigatione anxie uersarer, reperi è uestigijs antiquae scripturae non infelici, ut opinor, cōiectura, sic à Catone fuisse scriptum, Eorū Ego Oratione Inniter? Praestitit autē ansam errori, quod cum Inniter scriptum esset primore syllaba distantiore, hoc modo In niter librarius semidoctus bi legit pro In. Assimilantur enim I litera maiuscula ac n, elementis b & i, si quis parū attente consyderet, praesertim in scriptura, propter tractus & apiculos quosdā minutos ex fluxu atramenti nonnunquā & obtusitate calami iam fatiscentis prouenientes. Id quod stanneis typographorū formis accidere minime potest. Vniformes enim ubiq; sunt, & sui similes. Ergo cū bi scripsisset, q̄d In esse debebat, ipse ex sua liberalitate Si adiecit, ut fieret Sibi. Nā bi nihil significabat. Deinde quia niter altera cōpositi uerbi pars supererat, quae itē nihil significabat, ingeniosus iste i in e mutato, & apposito p, ex niter fecit Praeter. Oratione uero ꝑ incuriā in Orationes uersum est, à ꝓxima dictione Sibi, s litera mutuo sumpta. Sic em̄ ineptiūt librarij. Itaq; ꝓ Eorū Ego Oratione Inniter, iā tot erratis admissis legebať, Eorū Ego Orationes Sibi Praeter. Id uero cū nihil significaret, doctus aliquis paulo ante aetatem Hermolai (nam tum ferme legi coeptus est Plinius, multis ante seculis ignotus) in suo codice pro Sibi, Sino notauit, & ad Praeter adiecit uerbū fluere, ut saltē aliquam sententiā prae se ferrēt corrupta ac

(ut ipsi uidebatur) mutila Catonis uerba. Quæ lectio cum melior nõ oc
curreret, & nemo quæreret amplius, aut dubitaret propterea quod ma/
gni in literis uiri sic legerent, in omnia exemplaria deinde transfusa est,
idq; per artem istam typographicam, qua celerrime libri propagantur,
non minus mendosi quàm castigati. Porrò ut aperiam omnes cogita/
tiones meas ingenue, non placet usquequaque mihi, ut hic legatur, Ora
tione Irriter, cũ quod Cato de uellicatoribus loquitur, tum de homini/
bus ueræ laudis expertibus, & qui, ut Plinius ait, obtrectatione aliena,
scientiæ famam sibi aucupentur, in quos contemptius quiddam & uili/
us quàm est oratio recte cõpetat. Et posset aliquis quærere quænã sit il/
la oratio, qua se dicat nõ irritari Cato. Atq; adeo Sermonis quàm Ora
tionis hic propemodũ aptius uocabulum. Mihi omnia curiosius riman
ti, excutientiq; succurrit tandem pro Ego Oratione fortassis scriptũ fuis
se coaxatione, quod mirum in modum ad hũc Catonis locum quadra
ret, sed & Plinij sensum adiuuaret, qui pro se Catonis uerba allegat. Po
tuit enim fieri, ut quia g pro c à librarijs Gallicis & stulte uetustatẽ
imitantibus subinde ponitur, quemadmodum supra quoq; admonui/
mus, scriptũ fuerit goaxatione pro coaxatione hoc pacto, go axa
tione, ut per interuallũ aliquod à reliquis syllabis prima distaret. Semi/
doctus ille, qui descripsit, aut in libro temere castigauit, nesciens go per
tinere ad sequentes syllabas, e putauit omissum, quod statim addidit,
ut fieret Ego. Postea quando r litera cum x magnam habet con
uenientiam, scripsit aratione pro axatione. cum nec hoc placeret a
primam literam in o uertit, ut legeretur oratione. Hæc est mea cõie
ctura. Quæ si doctis probabit, gaudebo: sin minus, excogitẽt ipsi quod
melius sit, aut pergant legere quemadmodum in omnibus exemplari/
bus habet. Quæ lectio nec mihi prorsus displicet. Ego illos candide mo
nui. Coaxare uerbum est antiquum & elegans, à quo coaxatio descen/
dit, in eos qui alijs obstrepũt nihil ipsi interim præstãtes aptissime qua/
drans, quando nõ est aliud animal magis obstreperũ & molestius can/
tu suo, q; ranæ sunt, quarũ hæc uox est apud Aristophanem Comicũ,
„ βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ. Sic igit legi poterunt Catonis uerba, Scio quæ scri
„ pta sunt, si palàm proferant, multos fore qui uellicent, sed ij potissimũ,
„ qui ueræ laudis expertes sunt. Eorũ coaxatione inniter. Q.d. Cato, mi
nime. Stultus enim sit, qui ranarum coaxatione moueatur: nec certe sa/
piens, qui propter inanium hominum coaxationẽ, obtrectationẽmue
ab honesto aliquo instituto resilire sit paratus.

NE RESPONDERE POSSET. Vetus uolumen
habet

habet, Nec Respondere Posse. Subaudi Plancũ. Nec est ineptus sensus. Audiamus totã orationem, Nec Plancus illepide,cũ diceretur Asinius Pollio orationes in eũ parare, quæ ab ipso, aut liberis post mortẽ æderentur: Nec respondere posse, Cum mortuis non nisi laruas luctari. Sensus autẽ est, monitum fuisse Plancum, æditis aliquando post ipsius mortẽ Asinij Pollionis orationibus, futurũ ut respõdere nõ posset.

QVO DICTO SIC REPERCVSSIT ILLOS, VT Apud Eruditos Nihil Impudentius Iudicaretur. Sic habent uulgatæ æditiones. At quos illos repercussit Plancus? an amicos monenteis? Hoc nihil est. An Pollionem & liberos eius? Verum ij nihil dum ædiderant,aut parum adhuc sciebãt,quid esset pater mandaturus. Quare probior mihi uidetur lectio manuscripti uoluminis,quæ est huiusmodi. Quo Dicto Sic Repercussit Illas, ut subaudias,orationes Asinianas. Deinde uulgo legũt omnes Iudicaretur. Vetus exemplar habet Iudicetur. Quæ lectio significat publicatas istas orationes Asinij Pollionis in Plancum,& æuo Plinij male audisse Pollionem hoc nomine,uidelicet quod in mortuum calumnias ædidisset.

QVIA VERO OCCVPATIONIBVS TVIS. Vetus codex tantum habet, Quia Occupationibus Tuis.

SED VT QVISQVE DESYDERAVERIT. In antiquo uolumine, Desyderauit legitur, u loco b literæ posito, quantũ conijcio,ut debeat esse Desyderabit.



IDISTI HACTENVS, CLARISSIME LASCE, quanta diligentia PLINIANAM Præfationem excusserimus, & quàm fortassis non luserimus operam, tot locis restitutis, quæ ante nos nemo quidem intelligebat, docti uero ita dissimulabant,ut uulgo nihil facilius existimaret, quàm hũc prologũ enarrare,hæsitare autẽ uspiam plusquàm puerile. Nos rem secus habere docuimus. Nũc pro candore nostro loca quædã in ipsis Naturalis historiæ libris passim à nobis animaduersa,proferre in mediũ libet,ut hoc q̃si auctario LASCVM nostrũ ac studiosos omneis demereamur,& doctis uiã indicemus q̃ pacto nobilissimus autor restitui possit. Id quod certe nõ est unius hominis opus,nõ tã ob uoluminũ immẽsitatem

sitatem, quàm quod Apollo non semper fauet, immo plerunque quod quamlibet cogitando inuenire non queas, alteri citra laborem etiam in mentem uenit. Quemadmodum autem in libris Plinianis uaga lectione uersati sumus, ita non cõtinuas castigationes, sed intercisas & saltuatim annotatas proferemus. Initium à septimo libro sumetur.

EX LIBRO SEPTIMO.

EX PROOEMIO.



VNDVS ET IN EO TERRAE, GENtes, Maria, Insulæ, Insignes Vrbes, Ad Hũc Modum Se Habent. In ueteri codice manuscripto paulo aliter legitur, nempe sic, Mundus Et In Eo Terræ Gentes Maria Insignie Insulæ Vrbes Ad Hunc Modũ Se Habent. Quid sibi uellet illud Insignie, diu me anxium habuit. Videbam id à doctis in Insignes mutatum esse, & transpositum, nempe ut sic sit lectio, Insulæ, Insignes Vrbes. Qui sensus non est ita absurdus. Sed nisi multũ fallor, uidetur hic epilogus, à quo septimum librum exorditur Plinius, ex asyndeto constans, quæ figura breuitati in primis apta est, substantiuum uocabulum, non adiectiuum flagitare. Quare è uestigijs etiam ultimarum literarum eius dictionis, conijcio scriptum fuisse, Sinus, quod per inscitiã librarij primo mutatum sit in Signus, postea in Insignie & Insignes. Meminit autem Sinuum Plinius, ut libro sexto, Persici, Arabici, eius qui in mari rubro est Troglodytici, & Aethiopici. Huius errati postremo mihi uenit in mentem, cum tamen in ipso statim libri initio occurrat, adeo quædam suffugiunt nos, uel parum attentos, uel aliò properantes, nisi etiã atque etiam inspiciamus.

ANIMANTIVM IN EODEM NATVRA NVLLIVS Prope Partis Contemplatione Minor Est. Siquidem Cũ Omnia Exequi Humanus Nequeat Animus, Principium Iure Tribuetur Homini. Hæc Plinij sententia mire deprauata est à doctis, non animaduertentibus eam cum superiori cohærere debere. Exemplar manuscriptum

scriptum sic habet. Anim.In Eod.Nat. Nul. Prope P. Contemplatione Minore Et Siquidē Omnia Exequi Humanus Animus Qui Ad Principium Iure Trib. Homini. Vnde non dubito quin sic Plinius scriptum reliquerit. Animantiū In Eodem Nat.Nul.Pr.Partis Contemplatione Minore, Si Quidem Omnia Exequi Humanus Animus Queat.Principium Iure Tribuetur Homini. Et quæ sequuntur. Pendet autem hæc sententia à superiore. nam huiusmodi ablatiuis absolute positis frequenter utitur Plinius. Quæ res non obseruata, magnam occasionem eruditis præbuit huius autoris scripta deprauandi. Sic igitur leges septimi huius libri initium. Mundus & in eo terræ, gētes, • Maria,insignes insulæ(siue ut nos scribendum coniecimus Sinus,Insulæ)Vrbes,ad hunc modum se habent,animantiū in eodem natura nul • lius prope partis cōtēplatione minore,si quidē omnia exequi humanus • animus queat. Principium iure tribuetur homini, cuius causa uidetur, • Et quæ sequuntur. Porrò cum parum attentus librarius Minor e • scriptum reperisset, inter r & e interstite spacio, ex e Et fecit, quod postea alius in Est mutauit, Minor Est scribens quod Minore fuerat. At doctus quispiam non attendens hic nouæ sententiæ caput esse, cum inquit Plinius, Principiū Iure Tribuetur Homini, sed cōnectere uolens cum præcedentibus uerbis, primum è fine prioris sententiæ, sequentis initium perperam fecit, duabus dictionibus si & quidem in unam coagmentatis,& Cum particula adiecta, ac Queat in Nequeat demutato. Mox sequentia uerba, Princip.I.T.H. per comma copulauit, quæ per colon erant separanda. Vide operosam inscitiam.

MAGNA ET SAEVA MERCEDE CONTRA TANTA Sua Munera. Vetus exemplar habet, Magna Sæua Mercede. Vt diuinare liceat Et particulam potius ab aliquo docto adiectam, quàm omissam à librario,& Sæua, uel sua fuisse uel transpositis duntaxat elementis usa, quod mihi magis arridet propter uerba quæ sequunt̄, nempe, Cōtra Tāta Sua Munera. Hoc tamē doctis expendendum relinq̄, moneoq́;, ut uetusti codices inspiciātur. Is certe, qui Murbacensem librū descripsit, quàm uigilans fuit in nō omittēdo quæ reperisset, tā stulte liberalis fuit in addēdo, ac in deprauādo planè temerarius.

ANTE OMNIA VNVM Animantiū Cunctorū Aliena Alienis Velat Opibus. In hac oratione uocabulū Aliena superuacaneū est, nec in uolumine manuscripto legitur, cū sensum impediat, nō adiuuet. Igitur obelo confodiendū. Nec persuadet quod Hermolaus affert.

NVLLVMQVE TOT ANIMALIVM, ALIVD AD LAchrymas, Et Has Protinus Vitæ Principio. Sic habet etiam antiquus codex. Miror autem quosdam iu duas dictiones infulsisse, cum iis nihil opus sit. Nam pendent hæc uerba adhuc à superioribus, subintelligiturque præcedens uerbum, abiicit. Præterea habent cæterorum animantium fœtus recens æditi, quod uagitui & ploratui non multum sit dissimile. At lachrymas non emittunt, id quod hominis est. De quo hic Plinii locus accipiendus. Vel hic uideas quantum bonis autoribus periculi sit etiam à doctis. Quæ res non minus Plinium perdidit, quàm librariorum incuria. Porrò non satis mirari possum quorundam facilitatem, qui statim infulciunt quod docti casu nonnunquam annotarunt in libris suis. Religiosissime tractanda sunt autorum scripta. Probandi ueniunt, qui seorsim coniecturas suas legendas præbent, quemadmodum fecit olim omnium doctrinarum columen Hermolaus Barbarus, & in hoc libro nos, illius exemplum imitati. Tametsi frustra admonuit ille lectores, ne ea quæ ipse castigasset, statim in codices suos referrent quasi legitima & certa. Admonuit quidem fideliter, at prohibere non potuit. Certe de meis id ego nullo pacto fieri uelim, præsertim ubi nudis tantum coniecturis nitor. Præstat enim castigationes quorumlibet cum Pliniana lectione seorsim conferre, donec quæ uerior sit tum eruditorum iudicio, tum ipso tempore confirmetur.

AT HERCVLE RISVS PRAECOX ILLI. Vetus exemplar habet Præcox Ille, non Præcox Illi. Quemadmodum recte diuinauit Longolius.

AB HOC LVCIS RVDIMENTO, QVOD NE FERAS Inter Nos Genitas Vincula Excipiunt. In antiquo libro, Quæ Ne Feras Inter Nos Genitas uincula Excipiunt. Tametsi illic librarius indoctissimus pro Ne Feras nefas scripsit. Refertur autē Quæ, ad Vincula. Non eram & hoc annotaturus, nisi uidissem quosdam particulā Quod usqueadeo offendisse, ut hūc Plinii locum sic perperā legere sint ausi, Ab Hoc Lucis Rudimēto, Ne Feras Quidē Inter Nos Genitas Vincula Excipiunt. Adimendus itaque hic scrupulus uisus est.

ATQVE INFELICITER NATVM IACET. Vetus habet, Idque Feliciter Natus Iacet. Conjicio legendū, Sicque Feliciter Natus Iacet. Ac ut Sicque potius scribendū putem, quàm Itaque, facit proxime præcedens uocabulū in s desinens. Opinor enī ptimū scriptū fuisse

fuiſſe Sicque, deinde cū intereſſet aliquid ſpacij inter ſ & i, icque, poſtremo per imperitiam caſtigantis Idque. Nam quod quidā hic Atqui ſubſtituerunt, quaſi nouæ ſententiæ ſit initiū, prorſus diſplicet. Porrò Feliciter hic εἰρωνικῶς accipiendū. Flens autem ad Iacet referendum, quemadmodum recte diſtinctum uides in æditione Frobeniana, ſic ut hæc uerba, animal cæteris imperaturum, per Appoſitionem adiecta intelligas.

IAM MORBI TOT, ATQVE MEDICINAE TOT. Sic uulgo legunt omnes. Vetus exemplar habet, Iam Morbito Aque Medicinæ Cuncta Mala Excogitat. Et inter Morbito, & Aque raſuræ ueſtigium apparet, ut certo dicere non poſſim ſcriptum ne fuerit, Iam Morbi Tot Atque Medicinæ Contra Mala Excogitatæ, an Iam Morbi Totque Medicinæ, Siue fortaſſis, Iam Morbi Totidemq; Medicinæ. Quibus integrius exemplar eſt, locum hunc inſpiciant. Nam alterum Tot ſatis apparet à docto quopiam adiectum.

ET HAE QVOQVE SVBINDE NOVITATIBVS VICTAE. Volumen manuſcriptū habet, Et Hæ Quoq; Subinde Nouitatis Victa. Proinde ſuſpicor aliā olim fuiſſe lectionē, nempe, uel Nouitate Sui Victæ uel Nouatæ. Et hic conſulendos uetuſtos codices moneo.

CAETERA SENTIRE NATVRAM SVAM. Exemplar antiquum habet, Et Cætera Sent. N.S. Nec male quadrat, tametſi pars proxime præcedentis diphthongi uidetur eſſe t litera adiecta.

ALIA PERNICITATEM VSVRPARE, ALIA PRAEPETES VOLATUS, ALIA VIRES. Hæc omnia nō ſ[illegible] in exemplari Murbacenſi, in quo ſic tantum legit', Cætera Sentire Naturā Suam, Alia Nare. Mutilū hic apparet eſſe. Niſi ſi quis hæc à docto quopiā adiecta putet.

HOMINEM SCIRE NIHIL SINE DOCTRINA, NON FARI, NON INGREDI. Vetus uolumē ſic habet, Cætera Sent. N.S. A.N. Hominē Nihil Scire, Nihil Sine Doctrina. Quæ lectio ſyncerior eſt.

DENIQVE CAETERA ANIMANTIA IN SVO GENERE PROBE DEGUNT. CONGREGARI VIDEMUS, ET STARE C. Sic in uulgatis æditionibus legitur. Codex manuſcriptus pro Congregari, Depetgari habet. Quod uerbū quandiu me torſerit, dici non poteſt,

dum uel Depectari scribi posse conjcio à depeciscendo deductũ, quo fortassis ueterum aliquis fuerit usus, puta, Verrius Flaccus, aut Gn. Gellius, quos in hoc libro secutum se testatur, in autorum nomenclatura: uel dum id in alias formas deflecto. Porrò cum nullum eorum quæ ueniebant in mentem, magnopere arrideret, singulis elementis, atq; ipsorum elementorum figuris etiam diligenter excussis, in eam adductus sum opinionem, ut sic scriptum fuisse putem, interstitibus spaciosiusculis interuallis, qualia adhuc in uetustissimis libris, qui sint ab indoctis descripti, uidere est, Deniq; Cætera Animantia In Suo Genere Probe con uer sari Videmus. Quæ lacunæ postea sint ab aliq̃ asino in eum modum expletæ, quem sæpe retuli. Facile enim fieri potuit, ut quãdo magna est literarum c & g affinitas, pro con aliquis gon scripserit. quod cum in gunt mutatum fuisset, De syllaba adiecta De gunt factũ est. Et Versari primũ in Bersari, deinde in Persari, tandẽ in Pectari & Depectari, uersum. Itaq; libenter sic legerim, Deniq; Cætera Animantia In Suo Genere Probe Conuersari Videmus, Et Stare Cõtra Dissimilia. Non quod ignorem receptã illam lectionẽ defendi posse, sed quia huc me duxit post longã disquisitionem erratũ codicis manuscripti. Vtitur Conuersandi uocabulo Plinius alibi, cum de aquila loquens, Conuersat, inquit, in montibus. Et de Perdicibus, Oua ne cui, inquit, frequentior cõuersatio suspecta sit, transferũt aliò. Ridebũt quidã hic meã curiositatẽ, sed decreui quiduis pati, modo studiosis prosim, & fortassis ansam inueniendi rectiora alijs præbeã. Quæ etiã causa fuit, ut has meas Annotatiũculas eruditis seorsim nũc cognoscẽdas dederim.

EX CAPITE PRIMO.

NEQVE ENIM RITVS MORESQVE NVNC TRACTAMVS. Vetus liber, Tractauimus habet, ut indubie legendum sit Tractabimus. Nam u pro b in codicibus paulo uetustioribus subinde occurrit. Id quod cum non animaduertisset is, qui hunc locum castigauit, Tractauimus uertit in Tractamus.

INNVMERI SVNT. Manuscriptũ uolumen habet, Innumero Sanc. Vt proculdubio legẽdũ sit, Innumeros Sanè, Aptissima meherde sententia. Hoc quidẽ pacto, Neq; enim ritus, moresq; nũc tractabimus, inumeros sanè, totidẽ penè quot sunt cœtus hominũ.

AVT CVI NON MIRACVLO EST CVM PRIMVM In Notitiam uenit? Castigauit hunc locũ sic Christophorus Longolius.

golius, Aut Cui Non Miraculo Fuit. Quin inspicimus antiqua uolumina, potiusquàm ingenio nostro fidimus? Nec hoc in odium hominis dico, qui ob raram eruditionem singularemq; eloquétiæ studium doctis omnibus charus fuit, sed ut alios deterreã à re periculosissima. Vetus autem codex, qui penes me nunc est, sic habet, Aut Quid Nõ Miraculo Est, Cum Primo In Notitiã Venit? Quæ sentẽtia cũ clara est, tum integra.

NEC TAMEN EGO IN PLERISQVE EORVM OBstringam Fidem Meã, Potiusq; Ad Autores Relegabo, Qui De Dubijs Rogentur Omnibus. Sic omnes legunt, nec quisquam hic ullum scrupulum habet, propterea quod nihil hic sit Grammaticorum canonibus reclamans. Id quod plerunque nobis satis est. Tanta est nostra oscitantia dicam an ignauia. Cur autem neminem offendit, quod hic potius ad autores se relegaturum dicit, qui de dubijs rogẽtur omnibus, cum utique iam olim uita functi (nam de ijs loquitur quod uerba indicant à maiore diligentia & cura uetustiore eos commendantis) rogari non possint, nisi per necyomantiam, adiurationémque euocatis illorum manibus? Neque enim dicimus, De hac re roga Senecam, roga Varronem, hoc est, illorum commentarios, sed consule, quod rogare ad personam potius referatur. Audiamus nunc manuscripti uoluminis lectionem, ea est huiusmodi, Nec Tamen Ergo Impletisque eorum Obstringam Fidem Modo Potiusq. Ad Autores Religabo Qui Dubijs Reddentur Omnibus. Itaque ubi uulgatæ æditiones habent, Obstringam Fidem Meam, antiquum exemplar habet, Obstringam Fidem Modo. Videamus temeritatem eius quisquis fuit, qui ea uerba mutauit in Obstringam Fidem Meam. Nam non dubito quin Plinius ita scriptum reliquerit, Obstrictam Fidem Do. Cũ autem Obstrictam facile uerti potuerit in Obstringam, propter c & g literarum affinitatem, eo errato admisso, Do nihil ad sensum amplius faciebat, quis enim sic loquatur, Obstringam Fidem Do. Visum igitur fuit librario hunc locum castigaturo, mo syllabam adijcere, ut legeretur, Obstringam Fidem Modo. Deinde cum renascentibus studijs ab hinc annos fermè centũ, Plinius legi cœpisset, doctus aliquis uidens nihili sensum esse, statim substituit, Obstringam Fidem Meam. Nec quisquam putauit ea uerba aliter legi uel debere, uel posse, quando satis recte habet sententia. Atq; hæc de prioris loci deprauatione. Nũc ad posteriorẽ. Vulgatæ æditiones habẽt, Qui De Dubijs Rogent' Omnibus. Vetus exẽplar, Qui Dubijs Reddent' Omnibus. Est autẽ Plinij sensus, in plerisq; eorũ quæ dicturus sit, fidem pe-

nes autores futuram ad quos lectorem sit relegaturus, in dubijs rebus omnibus, autorum nominibus à quibus desumptæ sunt, redditis atque appositis. Nam sic intelligenda sunt hæc uerba, Qui Dubijs Reddentur Omnibus. Quorum obscuritas fecit, ut doctus aliquis non assequens Plinianum acumen, mutare sit ausus orationem, & scribere, Qui De Dubijs Rogent' Omnibus. Enimuero, ut ingenue fatear, ipse hũc locum transieram, uulgatorũ codicum lectionem probam esse putans, manuscripti uero uoluminis mendosam. Cum autẽ æditionẽ moliens, castigatiunculas has è libro meo describerem, & rursum ad hunc locum uenissem, ubi hæseram ante, & diu frustra laborarã, cœpi rursus omneis ingenij uires explicare, si iterato labore succederet, quod primo non fuissem consecutus. Et effeci hoc quod uides. Proinde studiosos monere nõ desinam uerbis Hermolai Barbari, ne fiducia mei in utranque aurẽ, quod aiunt, dormiant, quasi nihil supersit restituendum postquàm quædam Plinij loca percurrimus uulgatas æditiones cũ manuscripto codice conferentes. Quid uero dico fiducia mei, immo cuiuslibet alterius quãtumlibet eruditi. Cessent igitur hæ desidum ac pigrorum uoces. Hunc locum sic castigauit Hermolaus Barbarus, castigauit Longolius, castigauit Beatus Rhenanus. Hoc mihi satis est. Quin ipsi inspicitote manuscripta uolumina, quæ extant in Italia, Hispania, Gallia, Britannia, ac etiam adhuc alicubi in Germania, ubi uidelicet Agricolarum furor in bibliothecas æstate proxima non sæuijt. Inspicite inquam, & ipsi cõferte, uestris potius oculis credentes, quàm alienis: ad hæc etiam atque etiam cogitantes, quid ego post summos aliquot uiros in Plinio deprehenderim. Nec dubito, quin alij post me, si incumbãt, multa sint adhuc inuenturi. Ad hunc laborem auditores suos adhortari deberent, qui uel apud Transalpinos uel Cisalpinos Plinij scripta publice enarrant, & ingenue testari se non satis intelligere eum autorem, quotiescunque huiusmodi nodus aliquis incidit. Sed ijs satis est non siluisse, siue ad rem faciat hoc quod dicunt, siue non. Nihil enim turpius existimant, quàm aliquid ignorasse uideri, etiam in autore corruptissimo. Imponunt quidem adulescentibus ad tempus tales Professores, apud quos ob absolutam doctrinam & explicandi industriam bene audiunt. Verum & illis cum in literis maturuerint nacti iudicium, ac cæteris præterea doctis se ridendos præbenr. Ergo non profitebitur quisquam Plinium, aut alios autores ueteres? Hoc non prohibeo, immo maxime iubeo, sed uelim id fieri maiore cura, ac candore magis ingenuo, nimirũ ut si quis locus incidat, qui mendosus uideatur, de hoc auditorem moneat is qui prælegit, & simul adhortetur, ut uel doctiorem consulat, uel antiquum aliquod inspi-

ciat

ciat exemplar. Sed ut eò redeamus unde digressi sumus, tu sic in Plinio leges, id partim meo labori, partim uolumini manuscripto ferens acceptum: Nec tamen ego in plærisque eorum obstrictam fidem do, potiusq; ad autores relegabo, qui dubijs reddentur omnibus: modo ne sit fastidio Græcos sequi, tanto maiore eorum diligentia, uel cura uetustiore. Ex hoc loco habes, dubijs præsertim rebus, autorum nomina à Plinio reddita.

EX CAPITE SECVNDO.

QVEM LOCVM GESGLITRON APPELLANT. In ueteri exemplari Gesciton legitur. Significat autē Ton Germanis sonum, si forte inde Barbaris illis compositum uocabulum.

PRODVNTVR ARIMASPI, QVOD DIXIMVS. Antiquum uolumen, Quos Diximus.

ISIGONVS NICAEENSIS. Manuscriptus codex habet, Isigonusiceensis, ut dubitari possit à curiosiusculo lectore legēdum ne sit Siccensis. Scio tamen Diophanem Nicæensem alibi citari à Plinio. Reperit anno superiori Cælij Aureliani Siccensis uetusti illius medici uolumen Fabritius noster Confluentinus, dum Treuirensis diœceseôs bibliothecas perlustrat. Reperit & Marcellum medicum, eum qui Theodosij Aug. archiatros fuit.

A PVERITIA Statim Canos. In ueteri tantū Pueritia legit.

QVI NVNC TENENT HAS SEDES. Antiqui codicis lectio, Qui Nunc Eas Tenent Sedes.

VT FERVENTIS AQVAE CONTACTV FVGERE. Scribe tu, Contactum Fugere. Ex ueteri.

QVARVM LAVDATIONE INTEREANT PRATA. Vetus habet, Probata. quod etiam legi posse, sensus docet.

FACILIVS SENTIRE PVBERES. Harum dictionum postrema mendose scripta uidetur in antiquo codice, hoc pacto, Pubei, & addita est cruciula in margine, ut dubium esse possit.

Puberes ne sit legẽdum an Impuberes,aut forte Pubescentes. Inspiciantur igitur antiqua exemplaria.

NOTABILIVS ESSE. Sic omnes legunt,subaudientes hic genus.Et sic etiam habet liber manuscriptus. Sed quid si legas, Notabileis Esse. Immo sic planè uidetur legendum.

HVIVS GENERIS FOEMINAS IN SCYTHIA. In Murbacensi codice sic scribitur, Oculis Huius Generis Effeminas Inscitia. O prodigiosam describendi temeritatem. Talibus flosculis plena sunt ueterum scripta, quæ nobis indoctorum monachorum diligentia seruauit, sua tamen laude non fraudanda : ut uideas quàm iucunda res sit in his uersari. Quod ad præsentem locũ attinet, conijcio scriptum fuisse, Cu ius Generis Et Foeminas In Scythia. Quarum dictionũ prima uersa sit in Oculis huius, propter lacunas interstitis spacij, quas tam apte expleuit librarius diligentia sua foede abusus. Alioqui uidebam Oculis etiam ad superiorem sententiam referri posse,ut legeretur, Pupillas Binas In Singulis Habeant Oculis. Deinde,Huius Generis, & quæ sequuntur. Sed notus est mihi librarius meus, quo pacto soleat errare. Porrò pro Effeminas suspicor scribendum, Et Foeminas. Leges itaque, si uidebitur, Cuius Generis Et Foeminas In Scythia Quæ Vitiæ Seu Bithiæ Vocantur, Prodit Apollonides. In dictione Effeminas,supra prius F lector quispiam E literam delinearat.

QVORVM NOTAS TRADIT. Vetus habet, Quorum Notæ Tradit. Nec est inepta sententia,si in dandi casu accipiat.

NEC VESTE QVIDEM DEGRAVATOS. Vetus, Ne Veste Quidem.

IN AETHIOPIA PRODIDIT DAMON. In Murbacensi codice duntaxat legitur, In Aethiopia Damon. Vt Tradit uerbum,quod præcedit, aut simile potius subaudiendum sit. Idem faciendum est in oratione sequenti. Nam Vetus tantum habet,Cicero quoq; apud nos. Itaq; hæc uerba cum Prodidit,tum Autor Est,uidentur à prælectoribus addita,explicandi causa.

ADEO NATVRAE, CVM FERARVM MORE VESCENDI Humanis Corporibus In Homine Rabiem Genuisset. Sic in peruulgatis

peruulgatis exemplaribus omnes legunt. Vetus pro Corporibus, Visceribus habet, &, In Homine Genuisset, non, In Homine Rabiem Genuisset. Hoc pacto, Adeo Naturæ, Cum Ferarum More Vescendi Humanis Visceribus In Homine Genuisset. Quid hic faciemus? quam lectionem sequemur? probabimus ne eam, quæ in recentioribus libris est, an eã potius quàm antiquus codex continet. Neutra sanè bene habet, quantum ego iudico. Nam utraque mendosa est, & à Plinij mente δὶς διὰ πασῶν, quod aiunt, aberrans. Equidem hoc ille uult dicere, Naturam cum homini uorandi facultatem ferarum instar indidisset, etiam in humano corpore, & in quorundam oculis uenenum gignere noluisse, ne quid usquam mali esset, quod in homine non esset. Sunt autem multa animalia ueneno prædita. Ergo hominem quem in uescendo feris similem fecerat natura, uoluit in alijs etiam à bestijs non differre, nimirum ut quemadmodum reperiuntur animalia uenenata, sic & homines reperirentur ueneno noxij, basiliscúmque serpentem nobis referentes. Hic est germanus Plinij sensus, quem tamen neutra lectio nobis exhibet. Nam recentior hoc indicat, Naturam cum in homine genuisset rabiem, ut more ferarum uesceretur humanis corporibus, uoluisse etiam in toto corpore & quorundam oculis uenena gignere: cũ tamen Plinius hic nõ loquatur de Anthropophagis, sed simpliciter deuorationem notet quorumcunq; eduliorum, qua bestias imitamur: nec ueneni infitio statim sequatur illicitam eam κρεωφαγίαν, quemadmodum ex superiori expositione nostra quam attulimus, liquet. Vetus lectio mutila est. Nam quid imperfectius hac sententia, Adeo Naturæ Cum Ferarum More Vescendi Humanis Visceribus In Homine Genuisset? Nec enim exprimitur quid genuerit. Itaque cogita mi lector, quantum hic laborarim. Fateor inter describendum cum in ordinẽ enotata loca colligerem, & uetus hic exemplar rursus inspexissem, syncerã me Plinij lectionem de qua inuenienda spem omnem antea abieceram tandem deprehendisse, quam non celabo. Videtur enim mihi sic scriptum reliquisse Plinius, Adeo naturæ cum ferarum more uescẽdi, hu- "
manis uisceribus uim ingenuisset, gignere etiam in toto corpore, & in "
quorundam oculis quoque uenena placuit, ne quid usquam mali esset "
quod in homine non esset. Sunt autem hæc duo uocabula, Huma- "
nis Visceribus, dandi casu accipienda, atq; ad uerbum Ingenuisset referenda, non ad gerundium Vescendi, quod hic absolute ponitur, ut apud Maronem, Vescitur Æneas simul & Troiana iuuentus. Cæterũ ut hæc uerba, Vim Ingenuisset, mutarentur in diuersissimas dictiones, nempe, In Homine Genuisset, ansam lapsui longe fœdissimo

præstitit, quod forte sic scriptura haberet, ui m in genuisset, hoc est Vim Ingenuisset, interstitibus inter elementa spacijs, quæ cum explere uellet infelici diligētia librarius, pro ui scripsit in, & h. o literis elemento m præpositis ac post in syllabam appositam e adiecto, fecit, Vim In Homine Genuisset. Deinde cum esset mutila sententia, doctus aliquis, quod facillimum erat, dictionem Rabiem addidit, & sensus integer esse uidebatur, qui prorsus iam mutatus erat, ut ostēdimus. Sic deprauantur autores. Ac nescias plus ne nocuerit supina librariorū indoctorum incuria, quemadmodum iam sæpe diximus, an eruditorū diligentia parum attenta. Porrò ut in inquirendi labore persisterem, in causa fuit, quod hic uocabulum additum inuenissem quod non esset in antiquo codice, nempe Rabiem. Expende nunc tecum quid his debeatur, qui hāc autores castigandi molestiam pro communi studiosorum utilitate subeunt. Vbi pro inuentis quidem ac restitutis locis fortassis lector paulo humanior gratiam habet: at pro illis in quibus, quantūlibet ingenij neruos intenderis, conatus non successit, nemo quicquam emendatori se debere agnoscit. Qualia necesse est multa incidere in opere, præsertim longo. Ipse scio quandiu hic ante laborarim, & nihil tamen effecerim, quod nullus sciturus erat. Postea resumpto labore, præter spem, ni fallor, diuinatio successit.

QVAE VOCANTVR HIRPIAE, QVAE SACRIFICIO ANNVO. In ueteri codice legit̃, Q.V.Hyrpiæ Sacrificio Annuo.

QVORVNDAM CORPORI PARTES NASCVNTVR Ad Aliqua Mirabiles. Exemplar manuscriptum habet, Quorundam Corpori Partes Nascuntur Ad Aliaq. Mirabiles. Conijcio sic scripsisse Plinium, Quorundam Corpori Partes Adnascuntur, Alioqui Mirabiles. Neq; enim dicimus, hoc corpori nascitur, sed potius adnascitur. Et hic maluissem, Ad quædā, quàm Ad aliqua, præsertim cum sequatur, de pollice Pyrrhi regis, in cuius tactu lienosis medebatur. Audi uero per Musas, quid librarium deceperit. Forte scriptum erat, Quorundam Corpori Partes Ad nascūtur Alioqui Mirabiles, sic ut inter ad & nascūtur aliquid spacij interesset. Id cū uideret ille, putauit duas esse dictiones quod unū uerbum compositū erat. Iamq; Ad præpositio (sic enim ipsi uidebat̃) suo casu carebat. nec suppetebat quod adderet: transtulit igitur illam ad sequens uocabulum. Id erat Alioqui. cūq; Ad alioqui nihil significaret, mutauit Alioqui in Aliaq;, ut legeretur Quorūdam Corpori Partes Nascunt̃ Ad Aliaq. Mirabiles. Quod debebat esse,

debebat esse, Quorundã Corpori Partes Adnascunt̃ Alioqui Mirabiles.

CVIVS TACTV LIENOSIS MED. In ueteri uolumine scriptum est, In Cuius Tactu Lienosis Medebat̃, Hoc est,cũ tangeretur.

PRAECIPVE INDIA AETHIOPVMQVE TRACTVS. Antiquus codex, Præcipue Indi Aethiopumq; Tractus. Facile uero potuit a omitti.nec multum refert, utram lectionem sequare.

VT SAGITTIS SVPERARI NEQVEANT. In manuscripto legitur, Superiaci.

NON CAPITIS, NON DENTIVM AVT OCVLORVM. Vetus habet, Non Capitis,Aut Dentium,Aut Oculorũ. Minuta sunt hæc,nec inficior.Sed tamen hac de causa à me proferunt̃, ut alios extimulem ad idem faciendum. Ego profero lectionem unius exemplaris Germanici,proferat alius lectionẽ Italici codicis,uel Hispanici,alius Gallici,alius Britannici, & polliceor futurũ,ut intra breue tempus Plinius in pristinã faciem restituatur.Nam nudis cõiecturis hic nihil agitur quãtumlibet ingeniosus sis. exemplaribus antiquis opus est. Excutiantur itaq; bibliothecæ,& neminem pigeat id laboris capere,aut puluere & sordibus squalentiũ pulpitorum aspergi. Quod si hoc facit, ut aiunt,R.P. Guilhelmus Paruus Anitiensis antistes à confessione regis Galliarũ,ut omnes ueteres autores,qui in sacris literis aliquid elucubrarunt,undiq; corradat,animo fortassis ædendi:nam sic ego interpretor,quando quosdam iam publicandos curauit:cur non idem in humanioribus studijs agunt,horũ in Gallia sectatores? Habent & ij suos patronos ac fautores inter Magnateis, cũ ecclesiasticos, tum prophanos, quorum autoritate & præsidio id facillime fieri possit.Porrò uel hoc saltem,si nihil aliud,eruditos ad hanc rem extimulare debet,quod uideat, quantum ego Plinianam lectionem adiuuerim, post tot doctissimorũ uirorũ castigationes.Nec desperent etiam in his in quibus plurimũ laboraui,quædã adhuc se inuenturos.Cupio autẽ hanc laudẽ, si qua laus est,cũ multis esse mihi cõmunẽ.Proinde tanto candore moneo omnes, uiamq; demonstro qua non solũ Plinio, sed & cæteris autoribus succurratur.nam ex magna parte omnes mẽdosi sunt. Qua re nescio an aliud quicquam uel illustrius,uel utilius in remp. literariam conferri possit.

HORVM SVPRA CXX M FVISSE PRODVNTVR. Ctesias Scribit In Quadam Gente Indiæ. Hic locus insigniter de-

prauatus est,& sic ex ueteri codice restituendus. Horum Supra CXX M Fuisse, Prodente Se Ctesias Scribit, Et In Quadã Gente Indiæ Fœminas Semel In Vita Parere. Porrò postquàm Prodente mutatum fuit in Produntur, superesse uisa est Se particula, quam statim erasit quispiam. Occurrit autem hic loquẽdi modus in Plinio sæpissime. Sic libro decimo, capite secundo, Et fuisse eius, inquit, conuersionis annũ, prodente se, P. Licinio, M. Cornelio Coss. Ducentesimum quintumdecimum.

TANQVAM QVADRVPEDES TAM RECTE CVRrentes. Vetus exemplar habet, Tam Quadrupedes Tam Recte Currẽtes Humana Effigie. Propter Vel n.s.a.æg.non capiunt. Vt fortassis nõ sit absurda lectio, si quis sic legat, Tametsi Quadrupedes Tamen Recte Currentes Humana Effigie. Propter Velocitatẽ Nisi Senes Aut Ægri Non Capiunt. In libro manuscripto supra prius Tam, quidam ascripserat quàm, Tanquam legendum indicans, ut in peruulgatis æditionibus habetur. Consulantur hic uolumina uetusta.

GRAVIORE PAVLO ODORE HAVD DIFFICVLter Exanimari. In manuscripto codice hæ duæ dictiones, Paulo Grauiore, non habentur. Et alioqui subaudiuntur elegantius, quàm apponuntur. Inter enarrandum professor aliquis explicandi gratia adijci iussit,& postea sunt in contextum relata.

VIROS INDORVM QVOSDAM. Legendũ ex uetusto uolumine, Iuris Indorũ Quosdã. Hoc sensu, Quosdã ex ijs, qui ad Indorum ditionem pertineant.

AD SEPTENTRIONEM VERGENTEM. Scribẽdum, Vergentium, ut referatur ad genitiuos Nomadum Aethiopum.

ET SINGVLA QVAE FACIT. In antiquo habetur, Et Singulis Quaefecit. Vt etiã sensus esse potuerit, Et In Singulis Quae Efficit.

AVT PROPE HORAS. Lege, Ac Prope Horas.

EX CAPITE TERTIO.

SVPRA INTER OSTENTA ADDVCITVR. Non est hic Plinij sensus, id ante fuisse inter ostẽta relatum, sed si mulier plu-

teis pariat quàm tergeminos, id inter ostenta haberi. Legendum itaquè ex ueteri codice, Inter Ostenta Ducitur, non Adducitur.

PROXIME SVPREMIS DIVI AVGVSTI ANNIS. Sic omnes legunt. At manuscriptus liber sic habet, Potu Nilus Antonis. Proximis Superis Diui Augusti Fausta Quædam. Vt conijciam sic forte legēdum, Annis Proximis, Supremis Diui Augusti. Vocat autem ultimum Augusti principatus tempus, proximū, quemadmodum & in Procemio totius huius operis, de Iulio Græcino, nonnullisq; alijs loquēs, qui sub Augusto, Tiberio, Caioq; Cæs. floruerāt, Scito cōferētem, inquit, autores me deprehendisse à furacissimis & proximis ueteres transcriptos ad uerbum, neq; nominatos. Ceu nos illic legendū monuimus, cum ante Iuratissimis scriptum esset.

FAMEM Quæ Secuta Est, In ueteri libro melius legit̃, Cōsecuta Est.

ET IN AEGYPTO SEPTENOS VTERO SIMVL GIGNI. Scribendū ex antiquo, Et In Aegypto Septenos Vno Vtero Simul Gigni.

EX CAPITE QVARTO.

ET IN DEXTERA FERE PARTE, IN LAEVA FOEMINAS Constat. Hic uerbum unum deest, quo in primis est opus ad sentētiam, & additum alterum quo nihil opus. Itaq; sic leges ex manuscripto codice, Et In Dextera Fere Geri Parte, In Læua Fœminas.

EX CAPITE QVINTO.

CAETERIS Animantibus Statutū Et Pariendi, Et Partus Gerendi Tempus Est. Vetus habet, Cæteris Animātibus Statū Et Pariendi, Et Partus Egerēdi Tēpus est. Cū qua lectione recte cohærent quæ sequunt̃.

ET VSQVE AD INITIA DECIMI VNDECIMIQVE. Antiqua lectio, Et Vsq; Ad Initia Vndecimi. Ante Sept.

CONSVLEM. ET POSTEA CAESONIAM. Vetus habet, Consulem. Postea Cæsoniam Caij P.

IN QVO MENSIVM NVMERO GENITIS, INTRA

Quadragesimum Diem Maximus Labor Grauidis. Quarto Autem Et Octauo Mense, Letales In Iis Abortus. Hic locus mire deprauatus est, perperamq; distinctus per eos qui quid Plinius dicere uellet non intellexerunt. Sic autem restituendus est ex ueteri codice, In Quo Mensium Numero Genitis, Intra Quadragesimum Diem Maximus Labor. Grauidis Autem Quarto Et Octauo Mense, Letalesq; In Iis Abortus. Sensus est, In eo mensium numero genitos infantes, intra quadragesimum diem esse in periculo. Grauidas autem mulieres quarto & octauo mense similiter periclitari.

EX CAPITE SEXTO.

CRVRVM ET INGVINVM LEVIS TVMOR. Vetus habet, Leuitumor. Conijcio scriptum fuisse, Leui Tumore.

EX CAPITE SEPTIMO.

CARNIFEX HIS ANIMVS. Mollius est quemadmodū in antiquo uolumine legit, His Principijs Nascunt Tyranni, His Carnifex Animus.

TV CVIVS SEMPER IN VICTORIA MENS. Aliā hic lectionē manuscriptus codex habet, sed mendosissimā, nempe hāc, Tamen Cuius Semper Tinctoria Est Mens. Hæc corruptissima uerba doctus quispiam in hunc modum castigauit, ut legendum affirmaret, Tu Cuius Semper In Victoria Est Mens. At cum nullo modo mihi satisfaceret hæc sententia, cœpi aliam eruere. Verum non succedebat expedite diuinatio. Desperātū iam semel atq; iterū, tandem in mentem uenit ipsissima Plinij lectio ni fallor, hæc uidelicet, Tamen Cura Pertinaci Aestuans. Coniecturæ è uestigijs quæ manuscriptus liber habet ratio hæc est. Primum, Tamen particula adhuc integra extat. Deinde Cura mutatum est in Cuius. Pertinaci uero, quod distantibus syllabarum interuallis scriptum erat, hoc fortassis pacto, per tinaci in Semper Tinctori uersum est. Nam cum per syllabam solam inuenisset librarius, ex liberalitate sua sem syllabam adiecit quam deesse putabat, ut fieret Semper. Postremo Aestuans cum & hoc separationibus syllabis scriptum esset, puta hoc modo, a est uans, librarius pri morē uocalem nimirū a ad præcedentē dictionē addidit, & quod primū tinaci fuerat, mox tinctori, iam erat Tinctoria. Est, notū uerbū nō libuit immutare, uans aūt cū nihil significaret, in mens cōuertit. Vides iā nō secus q̄sdā in deprauādo Plinio laborasse, q̄ nos in emēdādo. Porrò hæc clausula à nobis maximo labore restituta, aptissime ad præcedentia

præcedẽtia respõdit. Id q̃d nullus negabit, modo totã sententiã inspiciat, ac cõsyderet, quæ sic habet, Tu qui corporis uiribus fidis: tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnũ quidem eius existimas, sed partum, tamen cura pertinaci æstuans: tu qui te deum credis aliquo successu tumens, tanti perire potuisti. Vbi notandũ & hoc in uetusto codice non legi, Tanti Tamen Perire Potuisti, sed duntaxat, Tanti Perire Potuisti. Innuit autem per clausulam à nobis restitutã Plinius: Nullum de felicitate sua securum esse & certum, ut uel hac cura, qui felicissimi nobis uidentur, non careant.

EX CAPITE OCTAVO.

IN PEDES PROCEDERE NASCENTEM. In ueteri libro scriptum est, In Pedes Procidere Nascentem.

EX QVO ARGVMENTO. Volumen antiquũ tantũ habet, Quo Argumẽto Eos Appellauere. Et Mox, Qualiter Et M. Agrippam.

INTER ARMA HOSTESQVE, ET AD MORTEM Obnoxio Accessu. Sic in uulgatis æditionibus legitur. Manuscriptus codex in hũc modum habet, Inter Arma Mortemq; Adnoxio Accessu. Quam lectionem nemo non uidet mendosam esse. Quid si sic legas, Inter Arma Hostemq;, Obnoxio Accessu.

LVISSE PRAEPOSTERI ORTVS AVGVRIVM EXIstimat. In antiq̃ sic legit, Luisse Auguriũ Præposteri aatalis Existimat. E quibus corrupti uocabuli uestigijs, scriptũ fuisse suspicor, Præposteri Natalis.

EX CAPITE NONO.

PRIMVSQVE CAESAR A CAESO MATRIS VTERO. Scribendum ex ueteri, Primusq; Cæsarum A Cæso.

EX CAPITE VNDECIMO.

ITEM PROCONNESIA ANCILLA. Vetus exemplar habet, Item In Proconnesia Ancilla.

EX CAPITE DVODECIMO.

IPSE In Auum Degenerauit. In manuscripto legit, Ipse Auum Regenerauit.

Quadragesimum Diem Maximus Labor Grauidis. Quarto Autem Et Octauo Mense, Letales In Iis Abortus. Hic locus mire deprauatus est, perperamque distinctus per eos qui quid Plinius dicere uellet non intellexerunt. Sic autem restituendus est ex ueteri codice, In Quo Mensium Numero Genitis, Intra Quadragesimum Diem Maximus Labor. Grauidis Autem Quarto Et Octauo Mense, Letalesque In Iis Abortus. Sensus est, In eo mensium numero genitos infantes, intra quadragesimum diem esse in periculo. Grauidas autem mulieres quarto & octauo mense similiter periclitari.

EX CAPITE SEXTO.

CRVRVM ET INGVINVM LEVIS TVMOR. Vetus habet, Leuitumor. Conijcio scriptum fuisse, Leui Tumore.

EX CAPITE SEPTIMO.

CARNIFEX HIS ANIMVS. Mollius est quemadmodũ in antiquo uolumine legitur, His Principijs Nascuntur Tyranni, His Carnifex Animus.

TV CVIVS SEMPER IN VICTORIA MENS. Aliã hic lectionẽ manuscriptus codex habet, sed mendosissimã, nempe hãc, Tamen Cuius Semper Tinctoria Est Mens. Hæc corruptissima uerba doctus quispiam in hunc modum castigauit, ut legendum affirmaret, Tu Cuius Semper In Victoria Est Mens. At cum nullo modo mihi satisfaceret hæc sententia, cœpi aliam eruere. Verum non succedebat expedite diuinatio. Desperãtã iam semel atque iterũ, tandem in mentem uenit ipsissima Plinij lectio ni fallor, hæc uidelicet, Tamen Cura Pertinaci Aestuans. Coniecturæ è uestigijs quæ manuscriptus liber habet ratio hæc est. Primum, Tamen particula adhuc integra extat. Deinde Cura mutatum est in Cuius. Pertinaci uero, quod distantibus syllabarum interuallis scriptum erat, hoc fortassis pacto, per tinaci in Semper Tinctori uersum est. Nam cum per syllabam solam inuenisset librarius, ex liberalitate sua sem syllabam adiecit quam deesse putabat, ut fieret Semper. Postremo Aestuans cum & hoc separatioribus syllabis scriptum esset, puta hoc modo, a est uans, librarius pro more uocalem nimirũ a ad præcedentẽ dictionẽ addidit, & quod primũ tinaci fuerat, mox tinctori, iam erat Tinctoria. Est, notũ uerbũ nõ libuit immutare. uans aũt cũ nihil significaret, in mens cõuertit. Vides iã nõ secus quosdã in deprauãdo Plinio laborasse, quam nos in emẽdãdo. Porrò hæc clausula à nobis maximo labore restituta, aptissime ad

præcedētia respōdit. Id q̄d nullus negabit, modo totā sententiā inspiciat, ac cōsyderet, quæ sic habet, Tu qui corporis uiribus fidis: tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnū quidem eius existimas, sed partum, tamen cura pertinaci æstuans: tu qui te deum credis aliquo successu tumens, tanti perire potuisti. Vbi notandū & hoc in uetusto codice non legi, Tanti Tamen Perire Potuisti, sed duntaxat, Tanti Perire Potuisti. Innuit autem per clausulam à nobis restitutā Plinius: Nullum de felicitate sua securum esse & certum, ut uel hac cura, qui felicissimi nobis uidentur, non careant.

EX CAPITE OCTAVO.

IN PEDES PROCEDERE NASCENTEM. In ueteri libro scriptum est, In Pedes Procidere Nascentem.

EX QVO ARGVMENTO. Volumen antiquū tantū habet, Quo Argumēto Eos Appellauere. Et Mox, Qualiter Et M. Agrippam.

INTER ARMA HOSTESQVE, ET AD MORTEM Obnoxio Accessu. Sic in uulgatis æditionibus legitur. Manuscriptus codex in hūc modum habet, Inter Arma Mortemq́ Adnoxio Accessu. Quam lectionem nemo non uidet mendosam esse. Quid si sic legas, Inter Arma Hostemq́, Obnoxio Accessu.

LVISSE PRAEPOSTERI ORTVS AVGVRIVM EXIstimat. In antiq̄ sic legit, Luisse Auguriū Præposteri aatalis Existimat. E quibus corrupti uocabuli uestigijs, scriptū fuisse suspicor, Præposteri Natalis.

EX CAPITE NONO.

PRIMVSQVE CAESAR A CAESO MATRIS VTERO. Scribendum ex ueteri, Primusq́ Cæsarum A Cæso.

EX CAPITE VNDECIMO.

ITEM PROCONNESIA ANCILLA. Vetus exemplar habet, Item In Proconnesia Ancilla.

EX CAPITE DVODECIMO.

IPSE In Auum Degenerauit. In manuscripto legit, Ipse Auum Regenerauit.

Regenerauit. Simili locutione utitur Plinius libro xiiij. cum inquit, Nec alio magis Drusus Cæsar regenerasse patrem Tiberium ferebatur. Tametsi uetustus codex illic, Degenerasse habet, & Ferebat non Ferebatur, sed mendose.

VISVS, AVDITVS, MEMORIAQVE HAVSTAE IMAGINES, Antiqua lectio, Visus, Auditæ Memoriæ Haustæq; imagines. Conijcio legendum, Visus, Auditus, Memoria, Haustæq; Imagines.

VTRIVSLIBET ANIMO SVBITO. Lege, Vtriuslibet Animum Subito.

MVNVS PER EVM COMMENDATIONIS, REGNIque Successionis Peregerit. Sic omnes legunt. At uetus codex habet, Mimum Per Eum Commendationis.

QVALIS CAVSA PATRI QVOQVE EIVS MENOgenis Coci Sui Cognomen Imposuit Straboni A Specie Oculorum Nomen Habentis Vitium Imitata. Et Scipioni In Seruo Serapione Victimarij Negociatoris Vili Mancipio. Hic Plinij locus adeo cōfusus est & perturbatus, ut à nullo hactenus credam intellectum. Nos adminiculo uetusti uoluminis conabimur illum restituere & illustrare. Habet autem in hunc modum antiqua lectio, Qualis Causa Patri Quoq; Eius Mœnogenis Coci Sui Cognomen Imposuit. Iam Strabonis A Specie Oculorum Habentis Vitium Imitata Et in Seruo Scipioni Serapionis Inerat Fuarij Negociatoris Vile Mancipium. Sunt in ijs Plinij uerbis multæ quidem mendæ, sed tamen suspicor sic syncæram scripturam fuisse, Qualis Causa Patri Quoq; Eius Menogenis Coci Sui Cognomen Imposuit, Iam Strabonis A Specie Oculorum Habentis, Vitium Imitata Et In Seruo: Scipioni, Serapionis, Is Erat Suarij Negociatoris Vile Mancipium. Prior sententia satis est aperta, Patri uidelicet Pompei Magni, cognomen impositū fuisse Menogenis coci sui. Quam rem his uerbis narrat Valerius Maximus libro nono, Nam pater quoq; eius, inquit, eousq; Menogenis coci sui similis esse uisus est, ut uir & armis præpotens, & ferox animo, sordidum eius nomen repellere à se non ualuerit. Hactenus ille, tametsi nō exprimit Strabonis cognomine iam uulgo Menogenen appellatum. Altera sententia breuior est, ut repetendum sit, Qualis causa, Scipioni s. cognomē dedit.

dedit, Serapionis. Erat autem is Serapion, suarij cuiusdam negociatoris uile mancipium. Id eodem capite recenset Valerius in hūc modum, Eximiæ uero nobilitatis, inquit, adulescens Cornelius Scipio, cum pluri mis, & clarissimis familiæ suæ cognominibus abundaret, in Seruilē Serapionis appellationem uulgi sermone impactus est, quod huiusce nominis uictimario similis erat. Nec illi aut morū probitas, aut respectus tot imaginū, quo minus hac cōtumelia aspergeretur, opitulata est. Hæc Val. Porrò demiror eos, qui hic uictimarij negociatoris ausi sunt scribere ex Val. Maximo potiusquàm suarij, cum tamen Plinius lib. xxi. dicat aperte, Scipionem, Suarionem fuisse cognominatum, propter similitudinem suarij cuiusdam negociatoris. Forte cum ex his uocabulis, Inerat suari Negociatoris, difficile esset aliquid eruere quod quadraret, doctus quispiam, qui Valerium legerat, statim uictimarij supposuit. Ego uero non dubito pro Inerat, quod antiquus codex habet, Is erat legendum asserere. Pronus enim librarij lapsus fuit, ut Is erat quod cohærentibus forte syllabis scriptum erat, in Inerat mutaret. Cæterum hoc non omittendum, in Fab. Quintiliano non Sciriationem, sed Suarionem, uideri legendum. Dici autē uix potest, quàm mendosus adhuc Fabius sit. Hoc testantur, qui peruulgatam æditionem cum Fuldensi exemplari manuscripto nuper contulerunt.

POST CN. COGNOMEN. Vetus habet, Post Eum. Quēadmodum etiam annotauit Hermolaus Barbarus.

SICVT SPINTER SECVNDANVS, RETIARIVSQVE. Volumen antiquū habet, Sicut Sphiter Secūdahorū Tertiarūq. Pamphilus. Videt legendū, Sicut Spinter Secūdanorū, Tertianorūq; Pamphilus.

POSTQVAM Deinde Sermone Puerū. Scribe, Puerorum.

INTER ALIA MAGNITVDINEM PRETII REQVIRENTE. In manuscripto codice legitur, Inter Aliam Magnitudinē Preti Conquirentē. Suspicor sic hauddubie scriptū fuisse, Inter Alia De Magnitudine Pretij Conquerēte. Inter alias querelas, etiam una erat de magnitudine pretij. Est autem hoc erratum non leue ducendū. Nam aliud est, requirere magnitudinē pretij, aliud de pretio conqueri.

QVONIAM NON ESSET MIRA SIMILITVDO IN Vllis Eodem Vtero Æditis. Vetus exemplar habet, tāetsi scriptu-

h ta non-

ra nonnihil interpollata per recentiorem aliquem, ut uidetur. Quonia Non Esset Mira Similitudo In Vllis Horum Vno Vtero Aeditis.

TAM CONCORDI FIG. REPERIRI. Vetus habet, Reperire.

VT ILLE PROSCRIPTOR ANIMVS MERO ET CONTUMELIA Furens, Non Aliud In Censu Maius Et In Fortuna Sua Duceret. Hoc modo legunt omnes. Mirum autem est quàm non sentiantur errata, à doctis etiam, postquàm aliqua lectio iam recepta est. Nos hic treis mendas esse paruo nunc negocio ostendemus, sed non citra laborem à nobis deprehensas. Proponemus primum ueteris codicis uerba. Ea sunt huiusmodi, Vt Ille Proscriptura Nimus Modo Et Contumeliam Furens Non Aliud In Censu Magis Ex Fortuna Sua Duceret. Ex quibus uestigijs ingenio nostro diutissime expensis, sic putamus Plinium scripsisse, Vt Ille Proscriptor Minis Modo Et Contumelia Furens Non Aliud In Censu Magis Ex fortuna Sua Duceret. Decepit autem hoc librarium, quod Pro scriptor distantioribus paulo syllabis forte depictum reperit. ipse ut præpositio Pro suũ casum haberet, ex scriptore fecit scripturam. Deinde Minis facile uersum est in nimus. Cætera recte habent. Porrò cum doctus quispiam legisset quemadmodũ deprauatum iam exemplar habebat, Vt ille pro scriptura nimus, statim emendauit, quod facillimum erat, Vt Ille Proscriptor Animus. Iam Modo quod mox sequit̃, non quadrabat, pro hoc ergo, Mero substituit, quod legat̃ M. Antonius uino deditissimus fuisse, quemadmodũ obijcit illi Cicero. Vides unde deprauationũ nata sit occasio. Facile uero nũc est, intelligere, sic esse legendũ, quemadmodũ indicaui. Sed non tam facile mihi fuit id inuenire. Porrò Mero Ac Contumelia Furens, Latine quidẽ dicitur, sed parũ apte. Quadrãtius est ad sensum, ut deprehensa mangonis fraude, minis & conuicijs Antonius usus fuisse credat̃: qui magnatibus mos est, & his qui impotenter potentes sunt. Proscriptorẽ uocauit & Seneca M. Antoniũ in libro primo de Clementia, de Augusto loquens, Iam fuerat, inquit, collega Proscriptoris. Cæterũ elegãter dictũ est, Ex fortuna sua duceret, eo modo q̃ dicimus, ex utilitate, & è repub.

EX CAPITE XIII.

VBI CVM ALIIS IVNXERE. Quid si legas, Vixere, Nam sequitur mox de Augusto & Liuia. Nisi forte scriptum fuit, Se Iunxere.

PLERVNQVE ALTERNANT. Vetus habet, Pleruncq; Et Alternant.

QVEM L. SYLLA COLLEGA, AD III. APRILIS Gessit, Crispinum Hilarium. Hic locus omnino deprauatus est, sic emendandus è codice manuscripto, legendusq; in hunc modum, In Actis Temporũ Diui Augusti Inuenitur, Duodecimo Consulatu Eius, L.que Sylla Collega, Ad III. Idus Aprilis C. Crispinum Hilarum Ex Ingenua Plebe Fesulana, & quæ sequunt. Video posse etiã legi, L.que Syllæ Collegæ, ad III. Idus April. Exemplar uetus habet, Collega D. III. Idus April. Sed uel puero clarũ sit, Vel Collega Ad III. Idus April. Vel Collegæ Ad III. Idus April. legendum esse. Prætereà cum liberis viiij. pronepotibus xix. & Neptibus viij. illic legitur, uariante numero in æditionibus uulgatis.

EX CAPITE XIIII.

NVPER ETIAM L. VOLVSIO SATVRNINO, IN VRbis Præfectura Extincto, Notũ Est Corneliam E Scipionũ Gente Volusiũ Saturninũ Qui Fuit Cõsul Post LXII. Annũ Genuisse. Mutbacense uolumẽ sic habet, Nuper Etiã L. Volusio Saturnino In Vrbis Præfectura Extincto, Notũ Est Cornelia Scipionũ Gẽtis Volusiũ Saturninũ Qui Fuit Conf. Genitũ Post LXII. Annũ. Ibi Cornelia auferendi casu positũ est.

EX CAPITE XV.

IN VNIVS VTERO QVAS APPELLARVNT MOLAS. In ueteri sic legitur, Inde Vnius Vtero Quas Appellauerũt Molas. Inde hoc est, ex ea causa, quod menstruum uidelicet profluuiũ habeat.

EX CAPITE XXII.

NAM CIMBRICAE VICTORIAE CASTORESQVE ROmani Qui Persicam Victoriam Ipso Die, Quo Contigit, Nunciauere, Visus Et Auditus, Et Numinũ Fuere Præsagia. Hæc est uulgatarum æditionum omnium lectio. Sed rogo te per Musas, quid sibi illud uult, Cimbricæ Victoriæ, & quò referendũ, aut quid hic subaudiẽdũ? Nam cætera si non quod ad sensum saltẽ quod ad Grammaticã pertinet, utcũq; fortassis defendi possunt. Enimuero qui iuuenes laureati lætum ac fœlicẽ Cimbricæ uictoriæ nunciũ afferentes, eodẽ die quo gesta res est, uisi sunt ꝑ æde Castoris & Pollucis Prætori literas dare, ceu Flo-

rus scribit: Et qui itē iuuenes P. Vatinio Reatino noctu proficiscenti in urbē, occurrere existimati sunt in equis albis, nunciātes die quí praterierat Persen regē à Paulo captū, ut est apud Val. Maximū, non Castores fuerūt, nec esse existimati sunt, sed cursores potius qui ultro citroq; mitti solent. Hoc propterea dico, q̄d non probē istam lectionē, Castoresq; Romani, quēadmodū hic omnes legūt. Mihi totus locus misere depravatus ac inuersus esse uidet̃, qui hāc olim faciē habuerit, Nam Cimbricæ Victoriæ Cursores, Quiq; Romā Persicā Victoriā Ipso Die Quo Cōtigit, Nunciauere, Visus Et Numinū Fuere Præsagia. Siquidē hæc duo uocabula, Et Auditus, à nugatore quopiā sunt addita, propterea quod De auditu caput hoc inscribat̃. Cū enim homo, uel indoctus, uel parū attentus, legisset, Visus Et Numinū Fuere Præsagia, temere adiecit, Et Auditus, nō intelligens Visum hic nō accipi pro uidēdi facultate, sed pro spectro, quas uulgus uisiones appellat. Porrò facit mecū, quod Persica uictoria nō Romæ nūciata est à duobus iuuenibus, sed Romā p P. Vatiniū. Vide quàm curiosum esse oporteat, q uelit aliqd restituere. Minuta hæc etiā ueniūt diligenter expendenda. Cursorum aūt uocabulum pro tabellarijs apud idoneos autores usurpatur, ut apud Tranquillū in Tito Vespasiano, Et cōfestim quidē, inquit, ad alterius matrē, quæ procul aberat, Cursores suos misit, qui anxiæ filiū saluum nunciarent. Eandē uocem usurpat etiā in Nerone. Cōuenit lectio uetusti codicis cū ea quæ in uulgatis æditionibus habet̃, nisi quod quidam supra uocabulū Castores curs syllabā adscripserat. Porrò facillim[9] lapsus esse potuit, ut pro Romā, Romani scriberet̃. Nā inter m & ni in scriptura paruū discrimen est.

EX CAPITE XXIII.

PRAECISAM DENTIBVS LINGVAM. In uetusto uolumine, Præcrosam Dentibus Linguam, legitur.

EX CAPITE XXIIII.

SOMNO QVOQVE SERPENTE COMPVTAT. Manuscriptus codex, nō Computat habet, sed Amputat. Suspicor aūt pro Serpente legendum Se Repente. Et sic esset clarus sensus, Somno Quoque Se Repente Amputat.

EX CAPITE XXV.

ANIMI VIGORE PRAESTANTISSIMVM ARBITROR C. Cæsarem Dictatorem. Vetus habet, A.V.P. Arbitror Geni-

tum

tum C. Cæsarem Dictatorem.

SCRIBERE ET LEGERE SIMVL, DICTARE. Antiqua lectio, Scribere Aut Legere, Simul Dictare.

PARITER LIBRARIIS DICTARE. In ueteri non est Librarijs. Nec insunt itē uerba quæ sequunť, Aut Si Nihil Aliud Ageret, Septenas.

VT IVSTIVS POMPEIO MAGNO. Volumen manu scriptum tantum habet, Iustius Pompeio M. Tribuatur.

SPECTACVLA ENIM AEDITA. Vetus habet, Spectaculum Inedita. Conijcio scriptum fuisse, Spectacula ædita, absq; Enim. Quia uero præcedit Aliud, librarius Spectacula uertit in Spectaculum.

LVXVRIAE FAVENTIS EST. In Exemplari Murbacensi legitur duntaxat, Luxuriæ Fauentis, absq; Est. Vnde mihi nata suspicio, scriptum fuisse non Fauentis, sed Fuerit, Sic uidelicet, Spectacula Aedita, Effusasq; Opes Aut Operum Magnificentiam In Hac Parte Enumerare Luxuriæ Fuerit. Nam sequitur, Illa Sit Vera Et Incomparabilis. Vbi perperam in uulgatis æditionibus, Fuit legitur pro Sit. Quanquam si etiā receptam lectionē sequaris, quæ mihi in primis placet, nempe Luxuriæ Fauentis, ut Luxuriæ dandi casus sit, non minus eleganter subauditur Est quàm exprimitur.

EX CAPITE XXVI.

HOC IN LOCO NVNCVPARE. Vetus habet, Nūcupari.

ET IN DEDITIONEM REDACTA. In manuscripto legitur, Et In Ditionem Redacta.

MAGNIQVE NOMINE SPOLIO INDE CAPTO. Vetus habet, Magniq; Nomine In Spolium Inde Capto.

ET MAIORE ANIMO SERTORIVM DOMVIT. Scribendū è uetusto codice, Tacuit. Qui hunc locum castigauit doctus quispiā, hoc est, pro Tacuit scribēdū putauit Domuit, nō intellexit quisquis fuit argutiā Plinianæ sententiæ, quæ est in his duobus uerbis, Asscripsit & Tacuit, inter se contrarijs. Equidē uicit ac domuit Sertoriū Magnus Pompeius, sed in Triumphali inscriptione, & inter honores quos urbi tribuit ob res in Hispania feliciter gestas, oppida quidē sanè quàm multa asscripsit, Sertoriū domitum nō asscripsit, sed tacuit. Quo modestiæ genere effugit inuidiam & maximam laudem consecutus est.

A MAEOTIS LACV. Lacu nõ habetur in exemplari Murbacensi. Sed tamen in fine Sexti libri. Per Mæotim lacũ, inquit Plinius & Sarmatas.

DE REGIBVS MITHRIDATE ATQVE TIGRANE. Vetus habet, De Rege Mithridate.

EX LIBRO OCTAVO.

EX CAPITE LI.

ID ETIAM NOTATVM, FACILIVS IACERE IN Dextrum Quàm Læuum Detortam. Legendum, Detorta.

COMPERTVM AGNITA VOCE SVARII, FVRTO Abactos, Merso Nauigio. Ex deprauatis uoluminis antiqui uestigijs, nempe his, Compertum Agnita Voce Varij Furto Abactis, Mersoq; Nauigatio. Conijcio sic Plinium scripsisse, Compertum, Agnitam (subaudi fuisse) Vocem Suarij Furto Abactis: Mersoq; Nauigio Inclinatione Lateris Vnius, Remeasse.

QVIN ET DVCES IN VRBE. Habet & uetus exẽplar sic. Sed quid sibi uolunt hæc duo uocabula, Et Duces? Possem hic aliquid cõminisci pro illorũ expositiõe. Verũ ut ingenue fatear, mihi locus uidetur esse deprauatus, & Cicures forte legẽdum, non Et duces. Quia autẽ insolens uerbũ erat, corrupit librarius quod nõ intelligebat. Nã sequitʳ statim, Et feri. Differit itaq; prius de Cicurũ porcorũ natura, mox de Feris.

ET FERI SAPIVNT VESTIGIA PALVDE CONFVNdere, Vrina Fugã Leuare. In codice Murbacensi deprauatissimo sed uetere, sic legitʳ, Et Feri Patiũt Palude Cõfundere Vrinã Fugã Leuare. Vides hic nõ esse, Vestigia. Quã uocẽ ab aliq̃ docto pro sentẽtiæ supplemento suspicor adiectã. Siquidẽ hoc iã longa lectione didici librariũ qui Pliniana uolumina descripsit, quãlibet alioqui inuertentẽ ac deprauantẽ omnia, nõ temere tamen, sed perquã raro solitũ quicquã omittere, id quod iam sæpe de eo testatus sum. Proinde uidendũ an fortassis ita Plinius scriptum reliquerit, Et Feri Sapiũt (aut sciũt) Palude cõfundere Vrinã, In Fuga Leuare. Nam conijcio pro m Fuga, hoc est, in Fuga librariũ scripsisse Fugã, deceptũ in m & in. Porrò si cui nostra lectio uel nõ placet, uel nõ satisfacit, is uetustos codices alios inspiciat, & fortassis

hoc loco

hoc loco dictionẽ istam uel similẽ reperiet. Neq; enim hoc usq; ualere uolo, Nõest in libro meo, ergo nõ debet esse. Ego duntaxat lectorem candide moneo, nihil præcipio.

ET ADHIBETVR ARS. Vetus habet, Adhibet Et Ars.

FICOCARICA SAGINATIS, A SATIETATE NECATIS. In antiquo legitur, Fico Arida Saginatis, Ac Satie Necatis.

PLACVERE AVTEM ET FERI VESICAE. C. CENSORIS Orationes. Sic in uulgatis æditionibus legitur. Cæterũ quis unquam audiuit uesicam suillam à ganeæ studiosis probari? Quod si maxime foret in delitijs, Plinius tamen non diceret, Placuere Autem Et Feri Vesicæ, sed potius Ferorum Vesicæ. Exemplar uetustum syncẽram quidem lectionem habet, sed ita cohærentibus confusisq; dictionibus, ut nõ mirer à nemine dum deprehensam. Ea est huiusmodi, Placuere Autem Et Feris uesiam Catonis Censoris Orationes. Itaq; nõ dubito sic Plinium scripsisse, Placuere Autem Et Feri Sues. Iam Catonis Censoris Orationes Aprugnũ (sic enim legendũ est, nõ Aprinũ) exprobant callũ. Indocta aũt ista diuersarũ dictionũ cõnexio, multũ mihi laboris exhibuit, priusquàm tandẽ uerã ac germanã deprehenderẽ lectionem, dũ uidelicet nunc, Placuit Et Feris Vesci, legendũ conijcio, nũc, Placuere Et Feri, ex m litera Catonis prænomen faciens. Nam in Murbacensi codice nescio quis c elementum supra ã ascripserat, quæ res in uarias ac uanas coniecturas diu me distraxit.

IN TRES TAMEN PARTES DIVISO APRO, MEDIA Ponebant Lumbos Aprugnos Appellata. Hic locus à docto quopiã deprauatus est, qui perperã exposuit, quod bene erat scriptum. Nec enim hic de Apro loquit Plinius, sed de callo aprugno. Facile uero est hũc è uolumine manuscripto restituere, quod sic habet, In Tres Tamen Partes Diuiso Media Ponebatur Lumbus Aprunos Appellata. Tu sic lege, In Tres Tamen Partes Diuiso Media Ponebat, Lumbus Aprugnus Appellata.

QVI CICERONIS IN CONSVLATV. Irrepsit in contextum In præpositio, inter explicandũ ab aliquo professore adiecta. Subaudita aũt opus est nõ etiã expssa. Vetus liber habet, Qui Ciceroni si Cõsulatu. ſ litera cũ esset ã sua syllaba auulsa & sola staret, librarius illi uocalẽ i adiecit, more suo, quæ res ansam errori dedit, ut alius Si in In mutaret.

ET HOC ANNALES NOTARVNT, HORVM SCILI

cet Ad Emendationem Morum Quibus Notata Quidem Esset Coe-na:Sed In Principio Bini Terniq; Pariter Mandebātur Apri. Quis de hoc Plinij loco tanquam corrupto dubitat? Quis hunc se intelligere negat? Et tamen hic nos non errata, sed portenta quædā ac planè mon-stra latere docebimus,& indicata feliciter, ut spes est, profligabimus syn ceriore lectione reddita. Proferamus hic primum manuscripti codicis uerba, mendosissima & ipsa. Et Hoc Annales Notarunt Horum Sci-licet Ad Emēdationem Morum Quibus Notata Quidem Coena Sed In Principio Bini Terniq; Pariter Mandātur Apri. Hæc est uetusta lectio. Vides quid hic docti restituerint, nempe Esset uerbum adiece-runt, ut quod prius erat, Quibus Notata Coena, legeret' iam, Quibus Notata Esset Coena. Deinde Mandantur in Mandebantur, uerterunt, hoc est, deprauarunt. Sed hic ego quæram, ubi lectum sit de tam prodi-giosa Romanorum uoracitate, ut in principio Coenæ duos aut treis nō nunquam apros absumerent. Quid putamus eos postea fecisse, si inglu uiei primordia tam belle habebant. Cesset iam Palæmon Siculis τὰς ἀδδηφαγίας ascribere, quemadmodū est apud Athenæum, postquàm Romani sunt tam edaces. Inter polyphagiæ miracula annotatum est, quod Theagenes Thasius athleta celeberrimi nominis taurum deuora rit, quod Astyadamas Milesius à Persa quodam ad coenam inuitatus, cuncta absumpserit quæ multis conuiuis sufficere debebant. Titormus Ætolus quoq; comedendi finem non fecit, donec de boue quem sibi ap posuerat, nihil amplius superesset. Sed modica hæc sunt, si cum Roma-norum Gastrimargia conferantur, non in prolixo conuiuio ut illi fece-runt, sed in ipso quasi coenæ præludio solidos apros conficientium. Iam quid hic opus est Hercules, Lepreos, Lityersas, Chærippos, Ctesias, Mi lones, aut alios quoslibet ex edacissimorū helluonum grege enumera-re, quando Romani temperantissimum alioqui genus hominum, præ-sertim si cum ueteribus Græcis conferantur, & delicatum magis quàm uorax, in principio mensæ statim binos aut ternos apros deuorāt. Sed ut Romanis patrocinemur, & ab eis hoc crimen arceamus, docebimus nunquam hoc sensisse Plinium, nisi idem est mandare & mandere. Ta-xat enim hic Plinius luxum suorum temporum, quibus ob corruptissi-mos eius ætatis mores, ad unam coenam consuetum erat, binos aut ter-nos apros simul iubere parari, cum tamen in Annalibus notatus sit P. Seruilius, quod primus solidum aprum, sed tamen unum duntaxat, in epulis apponi iusserit. Notatus autem in hoc ut posteri cauerent. Proin de hæc uerba, Quibus Notata Quidem Coena, Sed In Principio, men dosissima sunt, & prodigiose deprauata, sic hauddubie legēda, Quibus

Vsitata Quidem Cœna Seculi Vitio. Nam hoc modo tota Plinij sententia suæ integritati restituetur, quem ita scripsisse non ambigo. Solidum aprum Romanorum primus in epulis adposuit P. Seruilius, pater eius Rulli, qui Ciceronis consulatu legem Agrariam promulgauit. Tam propinqua origo nunc cotidianæ rei est. Et hoc annales notarũt, horum scilicet ad emendationem morum, quibus usitata quidem cœna seculi uitio bini terniq́ pariter mandantur apri. Porrò usitata cœna, auferendi casu posuit, & Mandantur nõ est à mandendo quod propriè dentibus comminuere est, sed à mandando. significat id exequendum aliquid iniungere. Sed uideamus nũc quid librarium seduxerit, ut tam fœde aberraret. Scriptum inuenit Quib. usitata, cohærentibus syllabis, nec intelligens abbreuiationem, Quibus, scripsit, dictionem Vsitata primoribus duabus literis spolians, V uidelicet & S. Itaq́ relinquebatur Itata. hoc cum nihil significaret, mutauit in Notata, ut pro Quib. Vsitata legeretur iam Quibus Notata. Posteriora uocabula, Seculi Vitio, sic forte erant scripta, Sec uli ui ci o distantibus inter se syllabis, ac cum ui syllaba ob indiligẽtem ductum calami referret speciem in, librarius castigatoris officium usurpans, aut alius quispiam indoctus lector, pro Sec scripsit Sed, pro uli. in, & in syllabæ quod ui debebat esse, p & r præposuit, ut fieret prin, & inter ci & o pi syllabam insulsit, quo uocabulum Principio constitueret. Sicq́ pro Seculi uitio scriptum iam erat, Sed In Principio, Postea doctus quispiam pulchre se castigasse locum putans, Esset addidit, & pro Mandant, Mandebantur scripsit. Huiusmodi indiligens eruditorum diligentia plurimum Plinij scriptis nocuit, qui interpolatum illius diuinum opus nobis dare studuerunt magis quàm castigatum. Iam occlamẽt nobis quidam, Inepte facere eos qui magnum aliquid se præstare putent, cum unum aut alterum uerbum in libris ueterum reposuere, emẽdatiore codice adiuti. Scilicet manuscripta autorum uolumina, præsertim Plinij syncera sunt ac incorrupta. Protuli iã tot exempla deprauatissimæ lectionis: inter quæ non postremum locum obtinere potest istud de quo modo disputauimus, ut neminem credam existere, qui non fateatur laboriosissimum esse hoc castigãdi negocium. Enimuero non planè dispicio utris plus debeant studiosi, illis ne qui uerbosis commentarijs autores exponunt, an istis qui ueterem lectionem etiam de emendato codice descriptã & absque labore inuentam publicãt. Quod genus annotationes siue castigationes utinam haberemus in omneis autores ex fide uetustissimorum exemplariũ. Sed, inquiunt, hoc agere puerile est. Verũ meminerint huiusmodi nugas quorundam serijs præstare. In summa res est omnino

necessaria,sed non perinde magnifica,splendidaq;. Quàm molesta uero sit,nemo credit,nisi expertus.Porrò satis omnibus constare puto,hic uel maxime iudicio opus esse. Nam qui omnia uelit in suum codicē referre,quæ in antiquis exemplaribus habentur, is certe meris nōnunquā monstris librū replebit. Documento possunt esse infinita loca quæ partim adduximus,partim adhuc adducturi sumus.Præbemus uero modū,quo lector uti debet syncerā lectionē inuestigaturus,nō aliter mendis confusam & abscōditam, ac densis arbustis se feræ occultant.Erit aliquādo fortassis quorundā maior cura,post tot sedulas atq; eas amicas admonitiones nostras. Quæ res in insignem utilitatem studiorum cessura est.

EX CAPITE LII. ET LIII.

LVTOQVE SE TERGORANTES. *Sic etiam in uetusto codice legitur.Sed mendose ni fallor. Scribendum puto Stercorantes.* Nam hæ duæ literæ G & C à librarijs uetustioribus subinde cō mutatæ reperiūtur,ut altera pro altera ponatur. Scriptum ergo Tergorantes pro Tercorantes, & elemēto primori S, quod paulo separatius stabat à reliquis syllabis,adiecta e uocalis,ut fieret Se.

AT IN ARABIA SVILLVM GENVS NON VIVIT In Vllo Genere. *Sic in uulgatis æditionibus omnes hactenus legerunt.* Mihi locus hic deprauatus uidetur,& aliter cum legendus, tum distinguendus. Nimirum ut ultima clausula modo recitatæ sententiæ, quæ etiam Quinquagesimum secundū caput claudit,cum initio mox sequentis capitis copuletur. Nec uero placet, ut In Vllo Genere legatur, sed In Nullo.nam alterum n facile omitti potuit, errore librariorum, qui frequenter accidit.Mendosum enim & hic uetustum codicem suspicor.Sic uero legendum censeo, In Nullo Genere Aeque Facilis Mixtura Cum Fero.Nam alioqui initium Quinquagesimi secūdi capitis nullum sensum habet Plinio dignū.Quid ēm hæc sibi uerba uolūt,Aeque Facilis Mistura Cum Fero? Porrò hæc res è uolumine manuscripto deprehendi non potuit,eo quod non sit in capita sectum, cū Plinius perpetuos libros scripserit, tum demum distinctos iuxta elenchum cum typis excudi cœperunt.

QVALITER NATOS ANTIQVI HIBRIDAS SVES Vocabant Semiferos. Hæc sententia sic restituenda est ex antiquo codice,Qualiter Natos Antiqui Hibridas Vocabant,Ceu Semiferos.

VT IN

VT IN C. ANTONIVM. Vetus habet, Vt In Con.Antonium,hoc est,Consulem Ant.

SED IN OMNIBVS QVOQVE ANIMALIVM. Scribendum ex libro manuscripto,Animalibus,non Animalium.

QVANQVAM ONERATO CAPITE VASTIS CORnibus,Gladiorumq; Vaginis,In Hæc Se Librant,Vt Tormento Aliq Rotati,In Petris Potissimum E Monte Aliquo In Aliũ Transilire Cupientes,Atq; Recursu Pernici Quo Libuerit Exultant. Difficilis est hic locus,& dubio procul à nemine intellectus. Exemplar manuscriptũ huiusmodi lectionem continet.Quanq; Onerato Capite Vastis Cornibus Gladiorumq; Vaginis In Hæc Se Librat Vt Tormẽto Aliquõ Rotatus In Petras Potissimũ Et Monte Aliquo In Aliũ Trãsli Quærẽs Atq; Recursu su Pernicius Quo Libuit Exultat. Nodus uero omĩs in his duobus uocabulis est Gladiorumq; Vaginis,quidnã hæc sibi uelint.Nam alioqui uetus lectio cum uulgata consentit, nisi quod doctus quispiam in pluratiuum numerũ mutauit, quæ illic in singulari ponũtur, nihilo melius q Petras in Petris.& Recussu in Recursu. Christophorus Longolius huic loco manũ admolitus, In His Se Librant legendũ putauit,ut referatur ad uaginas gladiorum,quod esse debet,In Hæc Se Librat,quemadmodũ uetus exemplar testatur, hoc est germanã Plinij lectionem mutauit in adulterinã. Id quod necesse est illis accidere, qui duntaxat ex ingenio suo nõ inspectis antiquis uoluminibus autores restituere conantur.Quibus si uel centies tentent, nõ semel res succedet: tã fallax est,quod absq; ueterũ codicũ præsidio tentatur, ceu iam sæpenumero diximus. Quod si etiam In Iis Se Librant, nõ In Hæc Se Librat legamus,id quod tamen faciendũ non est,quid tum? An bene propterea habebit sententia? Minime sane.Quis interim docet quid sibi uelint Gladiorũ Vaginæ.Mirabile uero animal quod gladiorũ uaginis oneratum caput habet.nũ in uaginis conditi sunt gladij, an uacuæ uaginæ sunt? Vastis certe cornibus,& alia quædã animantia prædita reperiuntur:at monstro similis est,imò mõstrũ potius,belua gladiorũ uaginas in capite circumferens. Enimuero uideo quid in uulgatis æditionibus legat,uideo etiã quid manuscriptus codex contineat. Non discedo libenter à lectione exemplaris uetusti,quantũ fieri potest,quod darũ sit qualiter eruditorũ temeritas Pliniũ nobis interpolarit: imò uulgatã lectionem adhibito iudicio potius castigandã censeo,si res patiat, ad eã quæ nobis uetus appellat, quàm ediuerso ueterem ad recentiorem. Itaq; cũ

reliqua satis recte habeant,uideo nodum omnem , ut ante dixi, in his duabus dictionibus Gladiorũq; Vaginis consistere, quarum utranq; mẽdosissimam reor,qui putem a Plinio scriptum fuisse Lateq; uagis, quod uocabulum cum distantioribus syllabis exaratum esset,hoc forte pacto, La te que ua gi s, librarius aliquid deesse existimans, expletis per sinistram suam diligentiã lacunis , hoc est g litera addita, & t in d mutata(nam glate non placebat)& orum genitiui pluratiui terminatione annexa,ac postremo ni syllaba introserta,in hũc tandem modum tam fœde deprauarit.Enimuero dum hunc locum curiosissime excuterem,cum quo,crede mihi,diutissime sum luctatus, uisum est mihi legendum esse, Lateq; Vagis. Ibix in Hæc Se Rotat. Nam cõijcio ibix in iuix primum eo quod u pro b usurpẽt librarij, mox in iuis, & postremo in inis facile mutari potuisse. Quæ Vox ad Vagis addita,Vaginis indubie cõstituit: quãquã etiam si non exprimatur ibix,subintelligit tamen in hac oratione,In Hæc Se Librat, additũ uero,sensum illustriorẽ reddit.imò planè uaginas gladij cõsecuti sunt.Nã cũ hoc erratũ admissum esset,ut Vaginis pro Vagis Ibix scriberet,iã nõ quadrabat præcedẽs dictio Lateq;.Male eñ sonabat in auribus librarij quãlibet crassis hæc oratio,Lateq; Vaginis. Quare cũ Vaginæ fiant ut in ijs gladij cõdant, uocabulũ Lateq; mutauit in Gladiorumq;.pulchro futuro sensu,Gladiorũq; Vaginis, ut stipiti illi uidebat.Profecto nusquã uerius est,illud Aristotelis, ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, τὰ ἄλλα συμβαίνει, quàm in deprauationibus autorũ , ubi unum erratũ admissum statim multa consequuntur. Leges itaq;, & distingues totum Plinij locum hoc
» modo . Súnt Ibices Pernicitatis Mirandæ,Quanquam Onerato capite
» Vastis Cornibus Lateq; Vagis. Ibix In Hæc Se Librat, Vt Tormen-
» to Aliquo Rotatus In Petras, Potissimum E Monte Aliquo In Aliũ
» Transilire Quærẽs,Atq; Recussu Pernicius Quo Libuit Exultat. Sententia nunc est clarissima,quæ hactenus obscurissima fuit. Restituimus præterea è codice manuscripto, Petras ubi perperã in uulgatis æditionibus Petris legebat.& Quærens quod doctus quispiã in Cupientes mutarat,nõ putãs satis Latine dici,Quærẽs Transilire.Itẽ Recussu Pernicius Quo Libuit Exultat , quod prius scriptũ erat Recursu Pernici Quo Libuerit Exultat.

EX CAPITE LIIII.

MIRA SOLERTIA, VISCO INVNGVNT OCVLOS, Calceari'que Imitatione Venantium Tradunt. Lectio quam Murbacense exemplar continet longe deprauatissima est. Sic autem

illic

illic legitur, Mira Solertia Visa Inungula Quaehisquae Calcari Imitatione Venantium Tradũt. Hermolaus Barbarus Venetam aeditionem praefert in qua sic scriptũ extet, Visco inungũt laqueos Calceariq̃ Venantium imitatione Tradunt. Et addit etiam oculos intingere simias, propter eos qui hic legunt, Visco Inungunt Oculos. Sed adiuuãdus hic uir optimus, nostra diligẽtia, & praebenda illi manus, qui in hoc molestissimo castigãdi genere, ante nos tam strenue laborauit. Ego nec Inungunt Oculos, nec Inungũt Laqueos hic legẽdũ esse è uestigijs tandẽ deprehendi, sed hoc pacto, Mira Solertia, Visco Inungi, Laqueisq̃ Calceari Imitatione Venantium Tradunt. Inungunt autẽ Visco nõ solũ oculos, sed hauddubie totũ corpus, & pedes non calceamentis, sed loco calceamentorũ laqueis implicant uenanteis imitatae. Nam hoc est quod hic narrat Plinius. Porrò has disiectas ac cõfusas ueteris atq̃ syncerae lectionis ruinas, Visa Inungula Quaehisquae Calcari, quidã mutarunt in, Visco Inungunt Oculos, Calceariq̃, quidam in Visco Inungunt Laqueos. Nos uero ex illis germanam Plinij lectionem restituimus hanc scilicet, Mira Solertia; Visco Inungi Laqueisq̃ Calceari Imitatione Venantium Tradunt.

MVTIANVS ET LATRVNCVLIS LVSISSE FICTIS Caera, Nuces Visu Distinguere. Cornelius Luna Caua Tristes Esse. Mirum est quidnam hoc sit, quod de ludo latrunculorum quo simiae sint usae disserens Mutianus, addat, nuces ab illis uisu distingui. Procul dubio mendum est in Nucum uocabulo. Sed & manuscripti codicis lectio hic prodigiose corrupta est, sic habens, Mutianus Et Latrunculis Lusisse Fictacera Conesius Distingue Luna Caua Triste Esse. Hic uides non esse Nuces, sed tantũ Conesius quod uocabulũ à docto quopiam postea mutatũ est in Corneliũ, quẽadmodũ in uulgatis aeditionibus legit̃, nec adiuuat q̃d in catalogo Latinorũ autorũ quẽ suo more huic Octauo libro praetexit Plinius, Cornelij nomẽ ponit̃. Sed q̃d faciemus postquàm Nuces nõ uidemus esse in uetusto exẽplari? Hic certe Oedipo rursum opus est. nã nullũ nisi à diuinatiõe p̃sidiũ. quae deus faxit, ut feliciter succedat. Ergo saepissime inspecto loco arbitror legẽdũ Acies Visu ꝓ eo, quod in antiquo uolumine est Conesius, ut haec syncera Plinij lectio sit, Mutianus Et Latrunculis Lusisse: Fictas Caera Acies Visu Distinguere: Luna Caua Tristes Esse. Siq̃dẽ in Latrũculorũ ludo ordinant̃ duae acies. In q̃bus sunt duo reges, duae reginae, q̃tuor equites, sedecim pedites, q̃tuor satellites, & totidẽ Cẽturiones. Ac suus cuiq̃ aciei color, quo latrunculi ipsi sunt tincti. Proinde facile est hoibus illos

 dinoscere.

dinoſcere. Verum cũ ſimiæ eoſdẽ è rudi cæra fingant, mirabile eſt, quod uiſu duntaxat diſtinguere norint acies iã in ludo cõcurrẽtes & cõfuſas.

NOVA EXVLTATIONEM ADORIRI. Vetus exemplar habet, Nouam Exultatione Adorari. Suſpicor à Plinio ſcriptum fuiſſe, Nouam Exultatione Adorare. Quaſi in honorem nouæ lunæ exultare uideantur. Neq; enim mihi placet, Exultationem Adoriri. Nõ puto ſic locuturum fuiſſe Plinium.

GESTANT CATVLOS QVOS MANSVEFACTAE. Apparet è manuſcripto codice Quæ legendum non Quos.

TRACTARIQVE GAVDENT, TRACTATV GRATVlationem Intelligentes. Vetus in hũc modum habet, Tractariq; Gaudent Gratulationem Intelligentib. Similis. Vt ſic ſit legendum, Tractariq; Gaudent, Gratulationem Intelligentibus Simijs. Nam huiuſmodi ablatiuis frequenter Plinius utitur. Videtur itaq; uocabulum illud Tractatu doctus quiſpiam adieciſſe, inter enarrandũ hauddubie.

SICVT MITISSIMA SATYRIS. In antiquo uolumine duntaxat legitur, Sicut Saturis.

PRIORI PARTE. Scribendum, Primori Parte. Ex ueteri.

HOC ANIMAL NEGATVR VIVERE IN ALIO NISI In Aethiopia, Quo Gignitur Cœlo. Lectio manuſcripti codicis huiuſmodi eſt, Hoc Animal Negatur Viuere In Aliquã Aethiopiæ Quo Gignitur Cœlo. Vnde conijcio ſic ſcripſiſſe Pliniũ, Hoc Animal Negatur Viuere In Aliquo Ni Aethiopiæ, Quo Gignitur, Cœlo.

EX CAPITE LV.

IN ALPIBVS CANDIDI. Vetus habet, Conditi. Nec diſputat hic de leporum colore Plinius. Verũ ut hic Candidi, non Conditi ſcriberent eruditi, in cauſa fuit uerbum Rutileſcũt. Putauerũt enim hoc Plinium uelle dicere, Lepores candidos in alpibus, liqueſcente niue rutileſcere & albedinem amittere. Mihi uero uerbum Rutileſcunt quod etiam in exemplari manuſcripto legitur, ſubdititium uidetur eſſe, & pro eo Gracileſcunt ſcribi debere. Nam non reddit alboris rationẽ Plinius, ſed eius

sed eius quod dictũ est illis pro cibatu niuem esse dum in alpibus conditi delitescunt. Id uerisimile esse, quod liquescente niue gracilescant mã crescantq;. In antiquis libris a literã sæpe sic depictam reperias, ut α Graecanici speciem referat superne hians. Quare in u uocalẽ sæpe perperam demutatũ à librarijs inuenit. Grutilescũt itaq; cũ non arrideret, substituit amoto g Rutilescunt. Si placet tibi, quod hic non citra laborẽ inuenimus, habe gratiam nobis. Sin melius nosti, imperti, sentiemusq; tecum. Aut uulgata lectione feliciter utere.

LEPORVM GENERIS SVNT. Sic & uetus habet. Mihi uero scriptum à Plinio fuisse uidetur, Leporini Generis Sunt. Facile autem Leporini in Leporum uerti potuit. Quia tamen manuscriptus codex paulopost Adferens habet, non Adferentes, ut uulgo legitur, suspicor scribi posse, Leporum Genus Sunt Et Quos Hispania C.A. F.I.F. Q. Balearium Insulis, Populatis Messibus Adferens. Habet autem uetus uolumen, Balearium Insulis, non Balearibus Insulis.

VENATVM EORVM. In antiquo, Venatum cum.

ALIVD INCOHATO GERENS PARTV. Legendum ueteri codice suffragante, Aliud Incohatum Gerens Pariter.

PROPTER BREVITATEM PILI LABILI. Hoc quidam sic castigarunt, ut legant Pilo Labili. Volumen manuscriptum habet, Pili Dilabi. Corruptum & hoc. Conijcio scriptũ fuisse Albidi, quod indoctus librarius transpositis cum syllabis tum literis uerterit in Dilabi. Nota aũt est albidi significatio. taleis pilos multos habet lepus.

EX CAPITE LVI.

APES IN CAMPO. In ueteri codice non legitur, In Campo.

EX CAPITE LVII.

ET HOS INCOLAS DOMVS. Antiquum uolumen, Domum habet, non Domus. Vnde conijcio legendum, Domuum.

ALII HERINACEORVM GENERE PVNGENTIBVS PILIS. Theophrastus Autor Est, In Gyaro Insula Cũ Incolas Fugassent, Ferrũ Quoq; Rosisse. Cõstat Id Quod Iacturã Quidã Et Ad Chaly-

bas

bas Facere In Ferrarijs Officinis. Aurarijs Quoque In Metallis, Ob Hoc Aluos Eorum Excidi, Semperq́ Id Furtum Deprehendi. Tantã Esse Dulcedinem Furandi. Sic in uulgatis æditionibus legitur. Libet more nostro ueteris quoq; uoluminis lectionẽ apponere: nõ quod multo sit rectior, sed ut appareat quanto ipse labore, sententiam quã postremo subiungam, è mendis ineptijsq́ librariorũ exsculpserim. Habet autem manuscriptum exemplar in hũc modum, Alij Herinaceorum Genere Pungentibus Pilis. Theoprastus Autor Est In Gyara Insula Cum Incolas Fugauerint Ferrũ Quoq; Rosisse Constat Id Quod Natura Quædam Et Ad Calybas Facere In Ferrarijs Officinis Aurarijs Quidem In Metallis Ob hoc Aluos Eorum Excidisse Per Quem Furtum Id deprehendi Tantum Esse Dulcedinem Furande. Ego uero sic legendum, distinguendumq́ conijcio. Plura eorum genera in Cyrenaica regione, alij lata fronte, alij acuta, alij herinaceorum genere pungentibus pilis, Theophrastus autor est. In Gyaro insula, cum incolas fugauerint, ferrum quoq; rosisse constat, idq́ natura quadam & ad Chalybas facere (subaudi constat) in ferrarijs officinis: Aurarijs quidem in metallis ob hoc aluos eorum excidi, sæpeq́ (aut semperq́) furtum id deprehendi. Tantam esse dulcedinem furandi.

QVOS CENSORIAE LEGIS PRINCIPES, Q. SCAVRVS, Et M. In Consulatu. Vetus liber habet, Quos Censoriæ Legis Princepsq́ Scaurus In Consulatu. Sic autem hauddubie legẽdum, Quos Censoriæ Leges Princepsq́ M. Scaurus In Consulatu Non Alio Modo Cœnis Ademere.

NISI AMNE VEL MONTE DISCRETI. In manuscripto uolumine non habetur Nisi, nec est necessaria ad sententiam particula, quam impedit, non adiuuat. Sic autem illic legitur, Et Si Misceantur Alienigenæ Amne Vel Monte Discreti, Interire Dimicando.

SIMILI ET MVSTELIS QVIETE. Sic in excusis exẽplaribus legitur. At manuscriptum nusquam non deprauatũ sic habet, Similis Et Nitelis Quiete Hi. Vnde suspicor sic à Plinio scriptũ fuisse. Similes Et Mustelis Quiete Hi. Porrò sciẽdum Hi particulam quæ sententiam istam claudit, in Sic esse mutatam à docto quopiam, atq; ad initium sequentis capitis, hoc est, Quinquagesimioctaui tralatam esse, quæ proxime præcedens caput, nempe Quinquagesimum septimum claudere deberet.

EX CAPITE LVIII.

Initium huius capitis debet esse, Mirum, Naturam Non Solum Alia. Nec est, Rerum Naturam, in ueteri codice, sed duntaxat, Naturā.

IN PORDOSELENE INSVLA, VICI VIAM MVSTELÆ Non Transeunt. Vetus non habet Vici, sed tantum, In Por. Insula, Viam Mustelæ N. T.

IN EBVSO CVNICVLI NON SVNT. SCATENT In Hispania Balearibusq;. Et hic cogor dissentire ab Hermolao Barbaro, nō quod is diuersam à mente Plinij lectionem hic tradat, sed quod aliam longe quàm Plinius scripserit. Est autem aliquid nō modo sensum autoris, sed etiā ipsa uerba quibus ille sit usus restituere. Video uero quid Hermolaum deceperit. In manuscriptis exemplaribus forte repererat (sic enim & meum habet) In Ebusolitaribus Cuniculis Cantēt Iuxta Hispania Balearibusq;. Et ante hanc sententiam punctum appositum est, præcedentem claudens, & maiuscula est I prima litera. Hic ergo optimus uir memor eius quod ante legerat, nempe tertio libro, ubi Plinius, Nec Cuniculos, inquit, Ebusus gignit populantes Baleariū messes, non potuit legere, In Ebuso Cuniculi Scatent, nam hoc aduersabatē autoris menti. Addidit igitur hæc duo uocabula Non Sunt, aut ab aliq̄ docto prius addita approbauit, ut huiusmodi cōstitueretē lectio, In Ebuso Cuniculi Non Sunt. Scatent In Hispania Balearibusq;. Nam in posteriori sententiæ parte, etiam Iuxta Præpositionem quæ tamen hic loco aduerbij usurpatur, in In mutauit. Et cum sic nobis Plinianam lectionem interpolarit, subijcit tandem: Nec aliter uetus habet lectio. Equidē nescio quam ueterem appellet lectionē. Adduxi uero in medium pauloante, quid manuscriptus codex, qui nunc penes me est, cōtineat, à quo quantum adhuc deprehendere potui, non fortassis magnopere diuersa sunt uetusta uolumina quæ ab alijs citantur. Nam barbaries & inscitia non solum apud Germanos regnarūt, sed etiam apud Italos seculis superioribus. Porrò hunc nodum, ni fallor, diligentia mea, uici. Pendere enim hæc uerba arbitror ex sentētia quæ præcedit, hoc modo, In Ithaca Lepores Inlati Moriuntur Extremis Quidem In Litoribus, In Ebusi Litoribus Cuniculi. Scatent Iuxta Hispania Balearibusq;. Loquitur autē hic Plinius de inuectitijs animalibus (ut ipse uocat libro decimo) quæ in quasdam regiones illata, statim emoriuntur. De quorum numero sunt lepores, qui adeo non uiuunt in Ithaca, ut etiam ubi illius extremum litus attigerint tantum, e uestigio pereant. Atq; Ebusus adeo non

gignit cuniculos,ut si quis in extimũ eius litus hoc animal inferat, mox emoriatur. Et tamen alioqui mirus cuniculorum prouentus tum in Hispania, tum in Balearibus ut planè nescias utro loco maior sit. Caeterum hoc Hermolaum decepit, ut In Ebuso legeret, quod esse debet In Ebusi litoribus,propterea quod uetusta exemplaria habent.In Ebusolitaribus.Sed sciendum,librarium has uoces, In Ebusilitoribus deprauasse in Ebusolitaribus,confusis duabus in unam.Nam de solitario cogitabat,non de litoribus.

EOSDEM VLTERIOR APENNINA REGIO NON HABET. Scribendũ ex ueteri,Vlterior Apennino:subaudié, monte. Non Apennina.

ARANEI ID GENVS DE QVO DICEMVS SVO LOCO. In manuscripto uolumine duntaxat legitur, Aranei Id Genus Dicemus Suo Loco.

EX CAPITE LIX.

NON SENTIVNT MALEFICIA. Legendum, Sentiuntur Maleficia. Sic enim habet uetustus codex.

ALIOS CVIVSQVE GENTIS. Rectam lectionem antiquus liber continet,nempe hanc, Aliјs Cuiuscunque Gentis Infesti, Auide Et Cum Cruciatu Exanimantes.

EX LIBRO DECIMO.

EX CAPITE PRIMO.

CELERITATE VINCVNT. Scribendum è ueteri codice, Celeritatem Vincunt,puta,equitis insidentis equo,cuius etiam altitudinem excedunt.

EX CAPITE SECVNDO.

ET ANTE O. N. A. PHOENICEN HAVD SCIO AN FABVLOSE VNVM I. F. O. Manuscriptum uolumen, quod

quod penes me est,sic habet, Et Ante O.N.A.Phœnicem Scio Fabulose Vnum In Toto Orbe. Et desunt hæ duæ particulæ,Haud & An. Non displicet uulgata lectio.

PLVMEO APICE HONESTANTE. Legendum ueteri codice suffragante, Honestare. Quod uerbum refertur ad præcedens uerbum, Narratur. Mihi tamen satis placet,ut scribatur Honestante, quemadmodum est in uulgatis æditionibus.

PRIMVS ATQVE DILIGENTISSIMVS TOGATOrum De Eo Prodidit Manilius Senator Ille Maximus , Nobilis Doctrinis Doctore Nullo,Autor est, Neminem Ext. Hic Plinij locus mendis non uacat, quas præsidio manuscripti uoluminis facillimum est tollere,nisi quod ubi in codicibus excusis Manilius legitur, illic Mamillius habetur,ut nescias Manilius ne legendum sit, quemadmodum etiam statim sequitur,an potius M. Amulius.Quantum ad cæterarum dictionum castigationē attinet,pro Diligētissimus scribendū Diligentissime: pro Maximus, Maximis:& hæc duo uocabula, Autor Est,expungēda. Nam addita sunt à docto quopiam,qui Plinij sententiā non est assecutus.Ergo sic leges & distingues, Primus, Atque Diligentissime,Togatorum De Eo Prodidit M.Amilius Senator Ille, Maximis Nobilis Doctrinis Doctore Nullo,Neminem Ext.& quæ sequuntur. Vides nimirum sufficere uerbum Prodidit, nec esse opus, ut aliud hic infulciatur.Hic locus imperitissime distinctus est in omnibus æditionibus,quas ego uiderim.In causa fuit,quod hactenus Maximus pro Maximis lectum est.

ITERVMQVE S. T. E. SIDERVM EODEM REVERTI. In uulgatis exemplaribus legitur, Eodem:In ueteri uero,Eiusdem,sed quod quidam iam olim in Easdem castigando mutarit. Estq; sententia aperta, Iterúmque Significationes Tempestatum Et Sydetum Easdem reuerti.

ALLATVMQVE ESSE IN VRBEM. Vetus habet, Allatus Esset In Vrbem. Conijcio legendum, Allatus Est Et In Vrbem. Nam sequitur in eodem,Propositus,non,quemadmodum uulgo legitur,Propositum.Et mox, Quem Falsum Esse N.Dubitaret, non Quæ Falsa Esse N.Dubitarit.Proinde sic lego totam orationem,Allatus Est Et In Vrbem,Claudij Principis Censura Anno Vrbis DCCC. In Co

mitio Propositus, Quod Actis Testatum Est, Sed Quem Falsum Esse Nemo Dubitaret. Hactenus eruditi hanc sententiam cum proxime præcedente connexuerunt, quasi Cornelius Valerianus id de Phœnice Romam allato prodiderit, quem ego puto longe Claudium Cæs. antecessisse, pudendo sane errore falsitatem Actis attribuentes, quam Phœnici Plinius ascribit.

EX CAPITE TERTIO.

PHEMONE APOLLINIS DICTA FILIA. Vetus exemplar habet Phemonoë.

CARENTI LINGVA, EANDEMQVE AQVIL. In manuscripto codice sic legit', Carentiq; Lingua. Eandē Aquilarū N. P. C.

EIVS DIEI RVINAM. Antiquū uolumen habet, Vt Ferūt Ei Dei Ruinam. Ex his uestigijs suspicor scriptū fuisse non EiusdēDiei, sed Eidē, hoc pacto, Prædictā Fatis, Vt Ferūt, Eidē Ruinā Secura Cœli Fide Cauentē. Hoc tametsi minutulū est, tamē diu me uexauit inquirentem priusq; deprehenderim. Quemadmodū & hoc q̄d mox sequit'.

EADEM MORATVR PER LACVS. Non arbitror Plinium sic loqui, Moratur Per Lacus. Nec è deprauatissimis uestigijs manuscripti codicis, quæ sunt huiusmodi, Eademori Per Lacus, eruendum duxi, Eadē Moratur Per Lacus, aut, Ea Demoratur Per L. sed potius, Eadem Super Lacus. Dixerat autem ante, de Morphno, quæ tertij generis est, Huic Vita Circa Lacus, nunc de Percnoptero quam quarti generis facit, rursum dicit, Eadem Super Lacus, subaudi uersatur uel uiuit.

RELIQVAS MAGNITVDINE ANTECELLENS. Scribendum ex ueteri, Reliqua Magnitudine. Est enim sensus, Huic quarto generi minimas quidem alas esse, sed reliquas corporis partes maiores, quàm cæteris aquilis.

ILLA QVAM TERTIAM DIXIMVS. Vide quæso, quanta temeritate monumenta autorum sint à sciolis deprauata. Plinius scripserat, Illa Quam Tertiam Fecimus, quemadmodum manuscriptum uolumen testatur, nisi quod illic Illā male ponitur, pro illa. Hanc elegantissimam locutionem, & idoneis autoribus familiarem, cū lector q̄spiā semidoctus nō intelligeret, statim Fecimus mutauit in Diximus, & scripsit Illa Quam Tertiam Diximus, ceu uulgatæ æditiones cōtinēt.

AQVILA IN DEIECTV ABIGENTE ALA, ET CVM Appetat In Lacus Cadente. V.Q.S.N.S.A.A.L.O.R.A. In Diuersa, Et V.M.S.C.E. Emergente. Hic locus mihi de mendis ualde suspectus est. Tametsi professores hic dubitare non solent, aut si dubitãt, qui illis mos est, strenue dissimulant. Nihil hic nos magnopere uetustũ exemplar adiuuat, ex quo, nisi iudicio diligenter utare, citius emendatũ librum deprauces, quàm deprauatum emendes. Id uero sic habet, Aquila Indeiectu Abingente Ala Et Cum Adpetat In Latus Candantes V.Q.S.N.S.A. A. L. O. Rursus Aue In Diuerso. Et V. M. S. C. E. Emergente. Vides & hic esse, Indeiectu, ut uulgo legitur, & In Latus Candãtes pro quo nos habemus In Lacus Cadente. Cogita nunc mi lector, quàm diu me hic locus exercuerit, ut planam ac synceram lectionem tibi exhiberem. Sed ubi non laboratum est? Expensa diligentissime Plinij sententia, pro Indeiectu Abigente Ala, scribendum conijcio, Inde Ictu Abigente Alæ. Deinde quod nos habemus, In Lacus Cadente, & in uetere est, In Latus Candantes, legendum suspicor, In Litus Scandente, ut hic sit Plinij sensus. Quando hoc aquilarum genus aues aquaticas inuadit circa stagna, subinde spectandum accidit certamen, dum auis ad litorum perfugia tendit, præsertim si illic sit condensa harundo, & inde eam alæ ictu arcet aquila: ac dum hoc contemnit auis, & fortiter pergit, litori iam propinqua esse incipiens (nam hoc etiam appetere significat) cæterum in litus ascendit callida aquila, nantiq; sub aqua aui suam umbtam à litore ostendit, ut deterreat. Rursum uero auis in diuerso loco, & ubi minime expectetur, emergit. Porrò quanquam uetus exemplar, In latus Candantes habet, ut uideatur legi posse In Latus Cadente, mihi tamen magis placet, ut In Litus Scandẽte scribatur. Nam quod typis excusi codices continent, In Lacus Cadente, qui Plinij sensum perpẽderit, dare perspicere potest, quàm inepta sit lectio. Totus igitur locus in hũc modũ legi queat, Illa quam tertiam fecimus, aquaticas aues circa stagna appetit, mergentes sese subinde, donec sopitas, lassatasq; rapiat. Spectãda dimicatio, aue ad perfugia litorum tendente, maxime si cõdensa harundo sit: aquila inde ictu abigente alæ, Et cũ appetat, in litus scandẽte, umbrãq; suã nanti sub aqua à litore ostendẽte. Rursus aue in diuerso, & ubi minime se credat expectari, emergente. Cæterũ Hermolaus hic legendũ putat Ala, q̃d prius erat Alia, ppterea q̃d Aristoteles scribat, ἀπερύκουσαι ταῖς πτέρυξιν. Verũ etsi Alæ legas, non erit id contra Aristotelẽ. Nam quod ictu alæ fit, etiã ala fit. Ego sanè nõ facile mutassem ablatiuũ siue septimũ casum in genitiuũ, nisi postulasset hoc sententia, & sequẽtis uocis e uocalis esset prima litera, ut su

ſpicer alteram diphthongi uocalem facile omitti potuiſſe. Non ſatis eſt autem Plinij aut alterius cuiuſcunque autoris ſenſum alicunde habuiſſe, niſi ipſa elementa ueterum codicum, apicesq́ ipſos & horum ſingulos propemodum ductus diligentiſſime etiam atque etiam inſpicias: præſertim ſi germanam eius autoris quem caſtigandum ſuſceperis lectionem, & qualis ab ipſo prodita eſt, reſtituere coneris.

RESPERSV PENNARVM HOSTEM OBCOECANTES. Vetus dumtaxat habet, Reſperſu Pinnarum Occæcantes. Itaque uocabulum Hoſtem, adiectum uidetur, inter explicandum primo, deinde receptum in contextum. Subauditur autem ſimilis accuſatiuus.

SAEPE ET AQVILAE IPSAE NON TOLERANTES Pondus. Manuſcriptum uolumen non Tolerantes habet, ſed Tolerante. Quæ uox facit, ut conijciam ſic à Plinio proditum, Sæpe Et Aquila Ipſa non Tolerante pondus apprehenſum, unà merguntur. ſ. prædatrix & præda. Nam huiuſmodi ablatiuis frequenter Plinius utitur. Porrò ut Aquilæ Ipſæ fortaſſis librarius libentius ſcriberet, quàm Aquila Ipſa, in cauſa fuit Merguntur uerbum, quod pluratiui numeri uidebat eſſe.

ET SI CONNIVENTEM FLENTEMQVE ANIMADuertit. Sic in uulgatis æditionibus legitur. Murbacenſe exemplar nullibi nõ deprauatiſſime ſcriptum, habet, Et Si Conhibentem Humectanteḿque Animaduertit. Prius mendum cognitu facile eſt. Ineptiens enim librarius primum Connibentem ſcripſit, quod erat Conniuentem, loco u, b litera ſuppoſita. Alius deinde non intelligens iſtam ſtulte uſurpatam antiquitatem, quæ certe à Barbaro uulgo deſumpta eſt, Connibentem uelut caſtigaturus, in Conhibentem uertit. Cohibere enim alicubi legerat, Connibere non legerat. Nec alterum erratum difficulter ſe prodit, ſuppoſititium, inquam, illud uocabulum, quod pro germano ſcioli cuiuſpiam temeritate irrepſit. Id eſt, Lachrymantem. Pro quo Humectantem reponendum eſt. Vtitur hac uoce Plinius libro Vndecimo, Capite Trigeſimoſeptimo de oculis loquens, Ardent, inquit, incendunt, humectant, conniuent. Sic eñ in eo loco poſtremũ uerbum corrigendũ eſt, pro quo uulgatæ æditiones Cohibent legunt. Quãquam & manuſcriptus codex illic mendoſam lectionem cõtinet. Sed hoc librarijs Plinianis familiare fuit, ut pro Cõniuent plerunq́ ſcriberẽt Cohibent, cuius rei multa teſtimonia afferre poſſem, uel ex

uel ex uno illo Vndecimi libri capite,quod modo citauimus.Itaq; locus hic illũ castigat,& huic uicissim ille succurrit. Vides uero utrobiq; hæc duo coniungi,hic Conniuentẽ Humectantemq;:illic,Humectant,Conniuẽt. Iam cogita lector,quàm inepte fecerint,qui eum locũ castigare sunt ausi,ut pro Humectant,Cohibent,ipsi scriberent Humectant,Cohibentur,quemadmodũ in quorundam æditionibus legitur.Quasi uero absurdum non sit futurum, si oculis hanc proprietatem ascribamus, ut Cohiberi eos dicamus, non Cohibere. Habet uetus exemplar paulopost,Contra Stetit,non Steterit.Sed hoc leuius.

ET QVINTO AQVILARVM GENERI. INAEDIFICATUR Nido Lapis Aetites. Hunc locum sic exponunt eruditi,quasi Plinius dicat,Quosdam adijcere tribus primis, & quinto aquilarum generi,genus aquilæ,quam Barbatã uocent,Tusci uero Ossifragam. Sed cum quintum aquilarum genus,gnision sit,ac germanũ & uerum,tria autem prima genera nõ item,qui fieri potest,ut hoc aquilæ genus, quã Barbatam uocant,tam dissimilibus inter se generibus adijciatur? Proinde hic mihi locus mendose habere uidetur. Manuscriptum uolumen sic habet, Quidam Adijciunt Genus Aquilæ Quam Barbatam Vocant Tusci Vero Ossifragam Tribus Primis Est.Quinto Aquilarũ Generi Inædificatur Nido Lapis Aedites. Ex hac corrupta uetusti codicis lectione,sic à Plinio fuisse scriptum diuino, Est Quinto Aquilarum Generi Inædificatus Nido Lapis Aetites. Iam & præcedẽs sententia recte habitura est, hoc modo, Quidam Adijciunt Genus Aquilæ, Quam Barbatam Vocant Tusci Vero Ossifragam, Tribus Primis. Est autem uerisimile,tribus primis generibus, adiectum id genus fuisse,non autem tribus primis & quinto aquilarum generi,quemadmodum hic locus in uulgatis æditionibus perperam est distinctus. Cæterũ pro Verbo malim hic legere Participium,hoc est, pro Inædificatur,Inædificatus,eo quod constet librarium r literam pro s identidem usurpare deceptum similitudine figuræ.

SED VIS ILLA MEDICA, NON NISI IN NIDO Direptis. Hic In particula addita dehonestat totam orationem, nec est in ueteri codice.Elegantius subaudieris è uel de,ut Direptis dandi casu accipiatur,quemadmodum reor Plinium scripsisse.

PARIVNT OVA TERNA. Vetus habet, PARIVNT, ET OVA TERNA.

EX

EX CAPITE QVARTO.

ERAT ET A. P. C. Q. ALIIS, LVPIS, MINOTAVris,Equis,Apris,Quæ Sing. In manuſcripto uolumine legitur, Erat Et A.P.C.Q.Aliis. Lupi, Minotauri,Equi, Aprićq; Singulos Ordines Anteibant. Nam Quæ diphthongum in Que Coniunctionem mutandam duxi.

IN ACIE PORTARI COEPERAT. Scribe è ueteri, In Aciem Portari Cœpta Erat.

NON FERE APVD LEGIONES VNQVAM HYBERnatum Eſſe In Caſtris. Antiquum exemplar ſic, Non Ferè Apud Legiones Vnquam Hyberna Eſſe Caſtra. Vides quomodo Plinius tractatus ſit,dum unuſquiſq; ſcribit ac legit,quod uult.

AT ILLA OB HOC. Vetus habet, Ab Illa. Arbitror abeſſe poſſe.

EX CAPITE QVINTO.

EST PERCELEBRIS APVD SESTON VRBEM AQVIlæ Gloria. Volumen noſtrum manuſcriptum huiuſmodi lectionē continet, Sæ Pccelebres Apud Sexto Vrbem Aquilæ Gloria. Ex iis ueſtigiis etiam atq; etiam inſpectis, ſuccurriſſe uiſus mihi ſum duobus locis,cum ei qui finem præcedentis capitis tenet, tum ei qui huius initiū eſt.Nam prima particula, Sæpe,pertinet ad proxime ſuperius caput in poſtremo fine locāda,hoc pacto, Ille Multiplici Nexu Alas Ligat, Ita Se Implicans,Vt Simul Decidat Sæpe. Deinde Quinti huius capitis initium huiuſmodi debet eſſe, Celebris Apud Seſton Vrbem Aquilæ Gloria, O incuriam caſtigatorum, & eorum qui nobis Plinium in Capita ſecuerunt.

QVOD VOCANT HEROVM. Quidam hic ſcribunt Herotum. Vetus exemplar habet, Quam uocant Heroēum. Conijcio librarium Quod in Quam more ſuo mutaſſe,propter præcedētia uerba,Quam ob cauſam,illuc enim & poſterius Quam referebat. Alioqui legerem,Quam Vocant Hierean,hoc eſt, ἱερέαν, & poſtea Appellatā non Appellatum,ſed offendit me uerbum Fecere.Proinde malo legere Hieron uel Hiereum,hoc eſt, ἱερόν, uel ἱερῷον pro ſacello,quod incolæ eo loco condiderint ob eam cauſam, appellatum Iouis & Virginis, quoniam illi deo ales aſcribitur.

EX

EX CAPITE SEXTO.

NIDOS NEMO ATTIGIT. Ex ueteri scribendum, Nidos Nemo Attingit.

TRIDVO AVTEM ANTE AVT BIDVO, VOLARE. Hæ duæ dictiones, Aut Biduo, non sunt in Murbacensi codice.

EX CAPITE SEPTIMO.

ET SANQVALEM OSSIFRAGAE. Vetus habet, Et Sanqualem Ossifragum. Conijcio scribendum Ossifragam.

EGO QVOD VERISIMILIVS EST, IN DESIDIA RERUM Omnium. Sic in peruulgatis æditionibus legitur. Verum antiquus liber, Est non habet, deinde pro Desidia Rerum, habet Desyderia Rerum, ut suspicer sic scriptum fuisse, Ego, Quod Verisimilius, In Deside Artium Omnium Arbitror Non Agnitos. Vt ad Romam referatur, cui uidetur Auguralis scientiæ & cæterarum disciplinarum deserta studia improperare.

EX CAPITE OCTAVO.

NVPTIALIBVS NEGOCIIS ET PECVNIARIAE REI. Vetus habet, Et Pecuriæ Rei. Vt etiam legi posse uideaẗ Pecuariæ.

ET CVM TEMPVS SIT CAPTVRAE. In Murbacensi codice, non est Tempus. An omissum sit in postremo loco paginæ, ne scio. Alioqui legi poterat uel Casuræ Sint, uel Elapsuræ.

NEQVE ALIO QVAM COLORE. Sic & uetus habet. Sed uidendum num pro Alio Quam scribi debeat, Alioqui. Et pro Rictu, quod mox sequitur, Visu uel Nictu.

SEMPERQVE PARIT. In Manuscripto legitur, Interq. Parit. Vt dubitem an potius, Intereaq; Parit, scribendum sit, hoc est, prius quàm occultetur inter uernum tempus & ortum caniculæ.

EX CAPITE DECIMO.

TRADVNTVR ET SOLSTITIIS AFFICI PODAGRA.

Ex ueteri legendum, Et A Solstitijs.

EX CAPITE XII.

BVBO FVNEBRIS ET MAXIMI ABOMINATVS. Manuscriptum habet Maxime Abominatus, Non Maximi.

PRIVATORVM DOMIBVS INSIDENTEM, PLVRIMVM Scio nō fuisse Feralem. Exemplar uetus, habet Plurim scio nō F. F. Vt nihil dubitem scripsisse Plinium Plurimis, non Plurimum.

VOCAT NVNQVAM QVO LIBET. Antiquus codex Quo Libuit.

EX CAPITE XIII.

LVSTRATA EST. In manuscripto uolumine mendosissime legitur Lus tracta Esse, ut fieri potuisse uideam ut scriptum fuerit Lustratam esse, uel Lustrata Est. Sed Quæ Sit Auis Ea Nō Reperitur. Legitur in eodem codice, L. Cassio.

IN HETRVSCA DISCIPLINA, SECVLIS NON VISA. Vetus liber habet non Seculis sed Se tuli. Vt fortassis legendū sit In Hetrusca Disciplina Sex. Iuli. Vt intelligas de Iulio Aquila quē de Hetrusca disciplina scripsisse constat. In cuius libro depicta cōplura genera auium fuerint, sed quæ nemo istius ætatis uidisset.

EX CAPITE XVIII.

VT PICVS MARTIVS COGNOMINE, INSIGNES. Et In Auspicijs Magnæ. Libri typis excusi omnes huiusmodi lectionem continēt. At ea quam uetustum exemplar habet, syncerior est uno uocabulo dempto. Est autē talis, Sūt Et paruæ Aues Vncorū Vnguiū Vt Pici Martio Cognomine Insignes Et In Auspicatis Magni. Porrò mendosam arbitror penultimā dictionē Auspicatis, & pro ea lego Auspicatu, nam suspicor pro u uetustiore quod sinistrum apicem superne incuruū habere solet, cuius præcipuus in fine dictionū usus, is syllabā à librario suppositam fuisse. Est autē elegans locutio, In Auspicatu, ut sit quartæ inflexionis nomē. Hactenus sua laude priuati fuerāt Pici Martij, quam nos illis nunc restituimus.

ADACTVS CAVERNIS EORVM A PASTORE CVNEVS

Admotā Quadam Herba Ab His Elabi Creditūt Vulgo. Trebius Autor Est Clauum Vel Cuneum Adactum Quanta Vi Libeat In Arbores In Quibus Nidum Habeat, Statim Exilire Cum Crepitu Arboris, Cum Insederit Clauo Aut Cuneo. Hunc Plinij locum quibusdā dictionibus uariatis, & nonnullis transpositis doctus quispiā interpolauit. Nos eum è mendoso nostro codice manuscripto, trāspositis & illic sententijs ac inuersis, sic tandē legendū esse diuinauimus, Adactos Cauernis Eorum A Pastore Cuneos Elabi Creditur, At Vulgo Admota Quadā Ab His Herba. Trebius Autor Est, Clauum Cuneúmue Adactum Quanta Libeat Vi Arbori In Qua Nidū Habeat, Statim Exilire Cū Strepitu (Vel Crepitu) Arboris, Cum Insederit Clauo Aut Cuneo. Vetus exemplar habet, Aut Vulgo. Cōijcio legendū, At Vulgo, nisi ea particula superuacanea est. Illic & uerbum Traditur suprascriptis literis in Creditur demutatum est.

EX CAPITE XIX.

OMNIBVS QVIBVS ALAE GRANDES. In manuscripto non est, Quibus, sed tantum, Omnibus Alæ Grandes.

ITAQVE PRAECEDET ORDINE OMNES RELIQVAS. Scribēdū ex ueteri codice, Itaq; Præcedēt Et Ordine Omnes Reliquas.

EX CAPITE XX.

OMNESQVE IN ACERVVM CONTRAHIT PENNARUM. Legendū exemplari manuscripto suffragante, Omnēq; In Aceruum Cōt. Pen. subaudi, caudā. Et Mox Oculis, q̄d uulgo legit Oculos.

EXQVE EO QVAESTV REDITVS. Aliter habet antiqua lectio, nēpe sic, Exquo Eo Quæstus Reditus. Tu scribe, Exque Eo Quæstus Reditu.

EX CAPITE XXI.

CREBRO IN SVBLIME QVOQVE CAVDAM FALCATĀ Erigens. Vetus habet, Crebra In Sublime, Caudā Quoq; Falcatam Erigens.

DOMOSQVE IPSI SVAS CLAVDVNT. Vide quanto sensus dispendio uel unica literula nōnunquā omittat. Hic omissum S, totā peruertit sententiam. Legendū itaq;, Domosq; Ipsis Suas Clau-

dunt. subaudi Magistratibus. Monstrat hoc uolumen manuscriptũ.

HI MAXIMO TERRARVM IMPERIO IMPERITANT. Demiror quis nam Imperitant in Plinij cõtextum insulserit, cum in ueteri codice nõ Imperitant sed Imperant legaẽ, nec Maximo sed Maxime, hoc est præcipue.

EX IIS ETIAM FIBRAE SVNT, QVAE HAVD ALITER Quàm Opimæ Victimæ Dijs Gratæ. In manuscripto libro paulo aliter legitur, Ex His Etiã Fibris quæ Aut Aliter Opimæ Victimæ Dijs Grati. Hunc locũ doctus quispiã perbelle castigasse sibi uisus est, quod Fibrisq; uerbo Sũt addito uertisset in Fibræ Sunt, Quæ: deinde Grati mutasset in Gratæ. quemadmodũ uulgo omẽs legũt. Certe Hermolaus hic transilit, cõtentus admonuisse, Opimæ Victimæ legendũ esse, nõ Optimæ. Ego uero tamdiu huic loco ꝑpetua sum inquisitiõe immoratus, studiosos omnes, & in primis Hermolaũ aliosq; eruditos adiuuandi gratia, donec repperérim quod à Plinio scriptum fuisset, & à librarijs deprauatũ. Totus aũt nodus est in prima dictione Ex his, loco cuius scribendũ est, Extis. Qua uoce reposita, sensus optime habere incipiet, si particulã Ac uel Quàm præterea adieceris, hoc modo, Extis Etiã Fibrisq; Haud Aliter Ac Opimæ Victimæ Dijs Grati. Vel hinc uideas quoq;, in quot lapsus præcipitemur, uno errore admisso.

HABENT OSTENTA EX SE ET PRAEPOSTERI EORUM Vespertini Cantus. In exemplari manuscripto non habẽtur hæ duæ uoculæ Ex Se. Cæterum Vespertini coniunctionem Que habet annexam, hoc modo, Vespertiniq; Cantus.

EX CAPITE XXII.

EST ET ANSERI VIGIL CVRA. Murbacense uolumen, Et Anseri Vigil Cura, absque uerbo Est.

MOLLIORQVE QVAE CORPORI QVAMPROXIMA. Antiquus liber sic habet, Molliorq; Corpori Proxima.

CANDIDI IBI, VERVM MINORES GANZAE VOCANTUR. Vetus exemplar, Candidi siue Verũ Minores Gantæ Vocanẽ. Cõijcio legendũ, Cãdidi, Verũ Minores, Gantæ Vocanẽ. Quia autem quæ dictio secundum locum occupat, à ue syllaba incipit, hanc

indoctus

indoctus librarius bis per lapsum scripsit. Alius deinde reperiens Ve syllabam solam, alteram adhuc adiecit, nempe Si, ut fieret Siue. Quam dictionem doctus quispiam uertit in Ibi. Tametsi non prorsus displicet ut Ibi hoc loco legat̃, quod potuerit etiam in Siue mutatũ esse, sed simplicius est quod nos indicauimus. Porrò mirũ est in uulgatis æditionibus Ganzæ legi, cum manuscriptũ uolumẽ Gantæ habeat. nec uero sunt exẽplaria uetera magnopere inter se diuersa. Arbitror id hoc accidisse pacto. Doctus quispiam circa tẽpus illud quo Plinius renascẽtibus in Italia primũ studijs, in manibus eruditorũ haberi cœpit, nimirũ annos abhinc centum, cũ legisset Germanis anseres Gantas uocari, eius nationis aliquẽ, sed qui in supiore Germania, ceu nominãt, natus esset, rogauit, quo uocabulo sua lingua anserẽ appellaret. Is e uestigio respõdit Ganzam dici. Vnde motus ille, quisquis fuit, ut in Pliniano codice Gantam mutaret in Ganzam. Cæterũ annotandum, Pliniũ hoc loco de Germania Prouincia loqui quæ in Primã & Secundam diuiditur, nos Superiorẽ & Inferiorẽ appellamus, non autẽ de ueteri Germania quæ inter Rhenum & Danubiũ est. Loquit̃ autẽ præsertim de Germania Secũda quæ olim Tungris & Vbiorũ Agrippina fuit insignis: nũc uero Belgicæ Secũdæ quoq; partẽ ad litus Saxonicũ, & Neruicani tractus bonam portionẽ partim lingua, partim ditione, partim utroque cõplectit̃. Atq; huius Secũdæ Germaniæ populo, Gantæ etiamnum uocant̃ anseres, quos Prima Germania in qua est Magontiacũ, Argẽtoratũ, & Elcebus patria mea, Ganzas appellat. Ita diuersarũ regionũ diuersa quoq; sunt linguæ idiomata. id quod in alijs nationibus etiam accidit. Porrò de Germania Prouincia loqui Plinium, uel hoc abunde docuerit, quod præfecti Auxiliarium (s. copiarũ, uel potius Auxiliorũ, nam uetus scriptura Auxiliũ habet, & sic etiã Tacitus nõnunquã appellat) qui in ripa Rheni contra Germanos pro defensione Galliarũ excubabant, uidelicet Nouesij, Geldubæ, Asciburgij & apud Vetera castra, sicut in Prima Germania, Magonciaci, Vangionibus, Alta ripa, Nemetibus, Vico Iulio, Tabernis, & Saletione, totas nõnunquã cohortes ad anserũ aucupia dimittebant, uacuis interim stationibus quas enumeraui modo. Vnde Prouinciæ discrimen certe poterat accidere, incustodita ripa Germanis Rhenũ facile trãsituris. Nõ mirũ igit̃, si id præfectis militũ, crimini uertebat̃, quod nõ necessariã rẽ suis indulgerent. Iam puto satis liquere qd Plinius indicare uoluerit, sic scribẽs, Et inde crimina plerunq; Auxiliariũ (uel potius Auxiliorũ) pfectis, à uigili statione ad hæc aucupia dimissis cohortibus totis. Nec hoc omittendũ, in ueteri codice scriptũ esse, Pretiũ Plura eorũ: ut cõijciã legendũ, Pretiũ Plumæ horũ.

Certe sic ordinanda sentẽtia quæ præcedit, Candidi, uerũ minores, subaudi sunt. Deinde, Gantæ Vocant. Ne quis minoribus tantũ id nominis esse putet, maioribus aliam appellationem habentibus.

GRAECI OTIDAS. Legendum ueteri codice suffragante, Græcia Otidas. Nam præcedit, Hispania Aues Tardas Appellat.

EX CAPITE XXIII.

QVANDO PROFICISCVNTVR CONSENTIVNT, VOlant Ad Prospiciendum Altæ, Ducẽ Quem Sequant Eligunt, In Extremo Agmine Per Vices Qui Acclamẽt Dispositos Habẽt, Et Qui Gregem Voce Contineant. Principium huius sententiæ non bene habet, tametsi hoc nemo fortassis animaduertit. Hermolaus dumtaxat ait ueterem lectionem habere pro Consentiũt, Consertim. Verum miror quamnam uocet ueterem. Meum exemplar antiquum, Consentiũt habet. Et solent manuscripta uolumina, quẽadmodũ alibi quoq; monui, nõ magnope discrepare, erroribus deprauati cuiuspiã forte fortuna codicis p descriptos libros ueluti ꝑpagines quasdã ad nos usq; traductis. Quod de Plinio dico, de oĩbus alijs autoribus intelligo. Sed age ꝑferamus more nostro uetusti quoq; exẽplaris lectionem, quæ eiusmodi est, Quãdo Proficiscunt Cõsentiũt Volant Ad Prospiciendũ Ante Lucẽ Quẽ Sequant Eligũt In Extremo Agmine Per Vices Qui Ad Clemẽtis Positos Habebãt. Et Qui Gregẽ Voce Cõtineant. Prodigiose corruptam lectionẽ audisti, mẽdisq; nõ aspersam, sed obsitã. Verũ conemur bonis auibus, ex ruinis istis, germanã Plinij sententiã eruere. Fortassis fauebũt Musæ. Atq; adeo primũ has duas uoces excutiamus, Cõsentiũt, Volant. Certũ est Consertim nihilo meliorẽ sensum efficere. Cur enim proficiscentes consertim uolant potius q̃ alijs temporibus. Deinde quo modo cohærebit oratio sequens, Ad Prospiciendũ Altæ? Vel etiã si sic ordines, Quando Proficiscunt Consertim Volant, Ad Prospiciendum Altæ, quis sensus erit? Mihi singula cõferenti expendẽtiq;, pro his duabus dictionibus, Consentiunt, Volant, scriptũ fuisse uidet, Conuolant, compositũ uerbum, quod unũ cum forte separatioribus syllabis delineatum esset hoc pacto, Con uolant, insulto altero uerbo, nẽpe, Sentiunt, libratius in duo pro libidine sua mutarit, hoc est, in Cõsentiũt, Volant. Tam infeliciter curiosus fuit in explendis lacunis, ne quid uspiam hiaret. Cõmissura uero opus tantũ erat, nõ insultura. Iam incipit sententiæ principium meliuscule habere. Reliquã partem aggrediamur. Ergo

quando proficiscuntur conuolant, quid nunc sibi uolant hæc uerba, Ad Prospiciendũ Altæ? Vetus exemplar, ut indicauimus, habet: Ad Prospiciendum Ante Lucem. Ego suspicor legendũ, Ante Ducem, hoc sensu, Grues profecturæ cõuolant, ut prius de duce sibi prospiciant. Quod uero Ante Lucem manuscriptus codex habet, inde accidit, quod monacho librario cũ hæc describeret Psalmographi uenit in mentem quodã loco inquiẽtis: Vanũ est uobis ante lucẽ surgere. Erat autem illi notior Psalmorũ liber, quàm phrasis Pliniana. Porrò quæ sequuntur satis recte habent. Nam de mendis manuscripti uoluminis non est curandũ, nisi quod ubi nos legimus Habent, Et Qui, in illo scriptum est, Habebant, Et Qui, Vt uideam etiam legi posse, Habet, Vt Et Qui. Siquidẽ ut particula, præsertim si n loco u suppoſuit librarius, ad Habet adnexa facile Habebant cõstituit. Ego diu conatus sum Ante legere, sed nõ conueniebat sententiæ. Audiamus iam quantum castigando profecerimus, totam Plinij orationem apponentes. Quando proficiscuntur cõuolant ad prospiciendũ ante ducem. quem sequantur eligunt. in extremo agmine per uices qui acclamẽt dispositos habent, ut & qui gregem uoce contineant.

QVI LASSATIS SOMNO DECIDENS, INDILIGENTIAM Sono Coarguat. Vetus exemplar habet: Qui Lassatus Somno Et Decidens Indiligentiam Coarguat. Nihil addubito quin Plinius sic scripserit, Qui Lassatas Somno, & Decidens Indiligentiam Coarguat. Porrò quod Sono legitur in uulgatis æditionibus additũ, hoc inde factum est, quod glossam quispiam in contextum retulerit.

ET EAEDEM MANSVEFACTAE. In ueteri non est, Et: quod additum magis dehonestat sententiam quàm ornat.

INDECORO CVRSV VEL SINGVLAE. Sic & manuscriptus codex habet. Verum mihi uidetur legendũ, Indecoro Cursu Vel Rictu siue Rinctu, quod suspicer Rictu deprauatum in Singulæ. Sæpe iam monui f pro r ab hallucinantibus librarijs, & uicissim r pro f subinde supponi, item g loco c. Ad singu ergo pro Rictu scriptum, læ syllabam quispiam adiecit, quemadmodum ubique in Plinianis codicibus legitur. Huiusmodi gruis spectaculum indecoro tũ cursu tum rictu lasciuientis, sæpenũero uidimus olim Lutetiæ in ædibus Lodouensis episcopi, apud quem tum uiuebat Faber Stapulensis.

ILLAM NEMO VELIT TETIGISSE. Vetus exemplar habet, Illam Nemo Velitate igisse, Scribendum igitur, Attigisse.

EADEM LEGIBVS POENA. Legendũ ex antiquo uolumie, Eademque

destissimusq; monet tantum legi posse etiam Veratri, ueluti locum exponens. Idq; ex Lucretio. Noluit hoc sibi petere quod apud eũ autorẽ deprehenderat. Frustrà autẽ uetuit Hermolaus, ne castigationes ipsius quasi certæ & legitimæ, referrent in libros, priore inducta uel erasa lectione, Sed id non hic dumtaxat factum est, uerum in innumeris locis.

QVAM OB CAVSAM EAS DAMNAVERE MENSIS. Scribendum è codice uetusto, Mensæ.

DESPVI SVETVM, QVEM SOLAE. Sic & manuscriptum uolumen habet. Ego tamẽ conijcio pro Suetum, scriptum fuisse Suetæ eum, quæ uoces tum: cohærentius scriptæ essent, Suetæeum, à librario mutatæ sint in Suetum. Quis enim non elegantem sententiã dicat si sic legatur: Simulq; comitialem propter morbum despui suetæ, eũ quem solæ animalium sentiunt præter hominem. Porrò magis hic locus exigere uidetur ut de auibus loquatur, quàm de morbo, quod uidelicet sit abominabilis.

EX CAPITE XXIIII.

NEC BIZIAE IN THRACIA. Hermolaus Bizenis ex Stephano legendum putat, quod prius erat Bizecis. tametsi mẽdosum hic Hermolaicarum castigationũ codicem puto, cum ex Stephano potius Bizyenis scribẽdum sit. βιζύη, inquit, πόλις θρᾴκης, τὸ τῶν ἀσῶν βασίλιον. τὸ ἐθνικὸν βιζυηνός. Verũ etiam si legas Bizyenis quomodo cohærebit sententia? Nam uerbum subire quod repetendum est, non admodũ conueniet. Nec enim sic loquitur Plinius ut dicat, Hirundines Bizyenis In Thracia Subire Negantur, qui loquendi modus poëtis usurpatur, præsertim cum ante dixerit Thebarum Tecta. Vetus codex habet Biziis in Troea, & t literam ad finem quispiam superne ascripsit. Vt succurram hic Plinio potissimũ, tum etiam Hermolao, è uestigijs istis deprehẽdi fortasse scriptum fuisse, Bizyin aut Bizyam Thraciæ. Quod si hoc pacto legas nihil salebrarum habebit oratio. Quid enim planius uspiam quàm hoc, Thebarum Tecta Subire Negantur, Quoniam Vrbs Illa Sæpius Capta sit, Nec Bizyam In Thracia, s. subeunt. Propter scelera Terei.

HIRVNDINEM A PVLLIS AD SE CVM EPISTOLA Allatam. In exemplari manuscripto non leguntur hæc duo uocabula, Cum Epistola, nec quicquã ad rem faciũt. Addita sunt, quemadmodũ

m sexcenta

ſexcenta alia in hoc opere. An non potuit è Romanis militibus quiſpiam cum per obſidentium Liguſtinorum caſtra mutato cultu feliciter euaſiſſet, hirundinem à pullis è nido ablatam quem intra caſtellum alicubi habebat, ſecum deferens ad Fabium Pictorem, qui non procul aberat, peruenire, & ore referre quid fieri uellent illi à quibus miſſus eſſet? Minus certe periculoſum erat hoc pacto per hoſtium caſtra tranſire, quàm cum epiſtola. Poterat autem Fabius, nondum de auxilij aduentu planè certus, hirundinem aliquot diebus retinere, donec certiſſima nunciare reuolatura in oppidum aue liceret, per nodos lini ad pedem eius ligati.

NEC OCCVLTANTVR NISI SPE CIBI. Quid hic nobis narrat Plinius? Aues iſtas non occultari, niſi ſpe cibi. Itane occultatis ciborum copia ſuppetit, & non potius eo maxime tempore fame premuntur? Deinde quampulchre cohæret, quod ſequitur, QVO HYBERNVM PABVLVM PETANT. Liberet hic auſcultare, dum hunc locum profeſſores in ſcholis interpretantur, quibus commentis ſatisfaciant auditoribus. Sed cur hic potius quàm in tot locis alijs, quos prodidi? Porrò non legendum hic, NISI SPE CIBI, ſed VISI SAEPE IBI, moxque non PETANT, ſed PETVNT, hoc pacto, SED HI PLVMAM NON AMITTVNT, NEC OCCVLTANTVR, VISI SAEPE IBI, QVO HYBERNVM PABVLVM PETVNT. Sic enim uetus codex habet.

VERE TVRTVR OCCVLTATVR. Non minus mirũ & hoc quod ſubiungit, Turturem Videlicet contra aliarum auiũ omnium naturam, in Vere occultari, amœniſſimo illo renaſcẽtis anni tempore, pennaſque amittere tum quãdo quicquid per hyemem nudatum honoreque ſuo ſpoliatum fuerat, ubique reueſtitur, non in animantibus modò, ſed & in plantis. Manuſcriptum uolumen habet, Verius Turtur Occultatur. Et ſic hauddubie eſt legendum. Nam confert Turturem, merulis, turdis, ac ſturnis, qui non proprie occultantur, quando ibi ſæpe conſpiciuntur unde pabulum accipiunt: nec pennas amittunt. Ar turtur uerius occultatur, pennaſque amittit. Hic etiam inter alias cogitationes ueniebat in mentem, forte ſcriptum fuiſſe Hybernis quod poſtea ſpoliatum primore ſyllaba mutatum eſſet in Verius, quando u pro b identidem à librarijs uſurpatur. Sed ſtatim diſplicuit, quod coactius eſſet & imperfectius, ubi neceſſario uel menſibus, uel diebus ueniret ſubaudiendum. Sed nõ ſic loquitur Plinius. Alterũ multo ſimplicius eſt ac rectius.

EX

EX CAPITE XXVIII.

TANQVAM GENERA FRVGVM FRVTICVMQVE Sic Et Animalium Non Nasci, Translatitiorumq; Inuecta Mori, Mirum Quidē Est, Illud Vnius Generis Aliti Aduersum. Quaenam Est His Naturae Inuidia ? Aut Qui Terrarum Dicati Auibus Termini? Hic locus tam est mendosus ac intricatus, ut nōn rear facile esse repertū hactenus, qui hinc satis dextre sese explicuerit. Nā quid sibi uult illud, Translatitiorūq; Inuecta Mori, ut de alijs taceam ? Certe, si usquā hic maxime Oedipo coniectore est opus, qui hos nodos soluat. Sed quid nos faciemus, num despōdebimus animū, qui hactenus inexplicabiles locos quosdā in hoc opere, non prorsus infeliciter, nisi omnino fallimur, labore & ingenio nostro explanauimus? Minime. Conabimur & hic auxilio uetusti codicis germanā lectionē indagare. Is uero sic habet, Tanquam Genera Frugū Fruticūmue Sic Et Animaliū Nō Nasci Tra lati tiū Inuicte Mori Mirū Quod Illud Est Vnius Generis Saluti Aduersus Quaeueis Naturae Inuidia Aut Qui Terrarū Diciti Auibus Termini. Ergo conijcio legendū ex istis uestigijs, primū, Tralatitiū, quod in uulgatis aeditionibus est Translatitiorumq;: deinde pro Inuecta Mori, Inuecta Emori, sed ut uocabulū, Mirum, eam sententiā claudat: Praeterea pro Quidē, Quod uel Quid: pro Aduersum, Aduersans potius, tametsi nō tanta uis in hoc est: pro Quaeue His, potius, Quaeue Hic. Postremo pro Dicati, Dicti, uel, quod mihi magis arridet, Liciti, quando uetus exemplar Diciti habet. Vt iam intelligi incipiat Plinius, quidnā hoc loco uoluerit. Erit enim clarissimus sensus, & Plinianā phrasim referens, si legas hoc modo, Nam haec quoq; mira naturae differentia, alia alijs locis negat. Tanquam genera frugū fruticumue sic & animaliū nō nasci, tralatitiū: inuecta emori mirū. Quod illud est unius generis saluti aduersans? Quaeue hic naturae inuidia? aut qui terrarū liciti auibus termini? Vtitur autem hic Plinius uehemētia quadā, quare statim subiungit, Rhodus aquilā non habet, & quae sequuntur. Porrò Tralatitiū uocat (sic enim exemplar manuscriptū non uno loco habet, tametsi quidā hic duas literulas n f supraścripserat) uocat inquam quod uulgare est & frequēter accidit. nā haec huius uocis significātia. Quare labit Budaeus, qui tralatitium pro importato hic exponit. Decepit eruditissimum uirum mendosus & perperam distinctus codex.

AMOENVM ARBVSTO AGRVM. Nihili sententia est, Transpadana Italia iuxta alpes Latiū lacum appellat, amoenū arbusto agrū. Consulamus exemplar antiquius, id habet. Amoenū Arbusto A-

gro, Sic consistet sententia. Offendit quempiam arbusti uox adiectiue usurpata, pro fruticanti. Itaque statim arrepto calamo, mutauit Agro in agrum. Non legerat is Quintum Septimium Tertulianum qui huius uocabuli comparatiuum usurpat, cum in calce Secundi libri aduersus Marcionem, Deum, scribit res suas arbustiores in primordijs, procurasse, bona ac rationali æmulatione maturitatis, hoc est luxuriantiores.

NEC VLLA AVIS IN PONTI INSVLA, IN QVA Sepultus Est Achilles Infestat Sacratam Ei Ædem. Vetus habet, Nec Vlla Auis In Ponto Insula, Quo Sepultus Est Achilles Sacratã Ei Ædem. Vides hic abesse uerbũ Infestat, quo nihil opus est, cũ Transuolat hic repetitum subaudiatur. Quare hæc sententia cum superiore connectenda, hoc pacto. Perdices nõ transuolant Bœotiæ fines in Attica, nec ulla auis, & reliqua. Pulchrum uero bellum sit, si aues Ædem Achillis infestent. Infestarent si cacarent in illius tectum.

ROMAE AEDEM HERCVLIS In manuscripto legitur, Romæ In Aedem Herc.

PROMITTITVR, REVOCATVR. Legendum antiquo uolumine suffragante, Promittitur Reuocato.

INTERDVM ET SECVM IPSA MVRMVRAT. Loquitur hic de sono, non de aue. Quare scribendum, Interdum Et Secũ Ipse Murmurat s. sonus. Alioqui si Ipsa legas, quomodo cohærebunt quæ sequuntur, Plenus grauis, acutus, creber, extentus, & reliqua?

AT NE QVIS DVBITET ARTES ESSE PLVRES, Singulis Sunt Cantus, Et Non Idem Omnibus, Sed Suus Cuique. Facile sensit Christophorus Longolius, homo doctus, & in Pliniana lectione diligenter uersatus, hunc locum male habere. Quare mederi uolens sensui corrupto, primam orationis particulam, Ac, in At mutauit, & Artes in Artis, hoc est, unam uocem deprauauit, alteram restituit, Duasq; sententias ex una fecit, post Esse puncto addito, quemadmodum Parisiensis æditio testatur. Nec ullum mihi dubium, quin ex ingenio suo, quo plurimum ualebat, hoc fecerit. Sed etiam si prior sensus bene haberet, quod tamen fieri non potest, cum ipse perperam diuiserit, quid de posteriori dicendum? qui tametsi non est ita diuersus à mente

Plinij, non est tamen istis uerbis ab illo proditus, quæ uulgo leguntur. Quanto uero tutior uia est autores restituendi, quam nos indicamus, nempe p ueterũ exemplariorũ collationẽ. Habet manuscriptus codex hoc pacto. Ac Ne Quis Dubitet Artis Sese Plures Singuli Sunt Cantu ut Nec Idem Omnibus Sed sui Cuique. Ex his ueluti ruinis quibusdam lectionis à Plinio proditæ sic conijcio legendum: Ac Ne Quis Dubitet Artis esse, Plures Singulis Sunt Cantus, Nec Iidem Omnibus, Sed Sui Cuique. Porro cum Cantus hic pluratiue enunciarit, debet & Iidem respondere, & Sui, in numero multitudinis.

CANDIDAM SCIO INCONDITAM Alioquin, QVOD EST PROPE INVSITATVM, Venisse. O magnam eorum incuriam qui hactenus in Plinio uersati sunt, non obseruantium hic pretij notas deesse, quo uenierit illa luscinia Agrippinæ donanda. Cur ergo non Asterisci notam hic apposuerunt? Vetus exemplar sic habet, Sciotis iu Candidam Alioquin Quod Est Prope Inuisitatum Venisse. Suspicor itaque legendum, Scio Sestertijs Sex Candidam Alioquin, Quod Est Prope Inusitatũ, Venisse, Quæ Agrippinæ Claudij principis Coniugi Dono Daretur. Id pretium confecerit centum & quinquaginta aureorum coronatorum summam. Porrò ui candidã hoc est Sex Candidam ut ego sum interpretatus, doctus quispiam mutauit, in inconditam. nam incandidam nón placebat. Alius simpliciter legit Candidam. Huiusmodi igitur geminam coniecturam cum quispiam in libri margine reperisset annotatam, mox utrãq; retulit in librũ suum. Vnde factum est ut hæc irrepserit lectio, Candidam Scio Inconditam Alioquin. Multis autem locis coniecturarũ diuersitas uitiandis inuertendisq; Plinij scriptis præbuit occasionẽ, dum omniũ coniecturæ sedulo, sed absq; iudicio cõuertunt in contextũ. Enimuero sic primũ autores sunt castigati, hoc est deprauati. Nemo uoluit laborare, & turpe erat diu hærere. quicquid ergo in buccam uenit, statim libris illitum est. Cæterum ineptum fuisset Agrippinæ Augustæ inconditam auem donare. Nec certe dignum quod Plinius in literas mitteret.

SICVT HOMINES REPERTOS, QVI SONVM EArum, Addita In Transuersas Labias Fronde Harundinea, Quasi Foramine Inspirantis Linguæ, Vt Parua Aliqua Opposita Mora, Discreta Redderent Similitudine. Sed Ex Tantæ Tamque Artifices Argutiæ A x v Diebus, Paul. Des. Quàm fœde & hic Plinij locus adulteratus est, additis quibusdam dictionibus, quibusdam mutatis, ut tota

sententia planè sit perdita? Non tam temere recipi deberent, quæ inter prælegendum à professoribus nonnunquam afferuntur. Synceram uero lectionem huiusmodi fuisse, suffragãti uetusto uolumine, nihil ambigi
" mus. Visum iã sæpe iussas canere cœpisse, & cũ symphonia alternasse:
" sicut homines repertos, qui sonum earũ addita in transuersas harundi
" nes aqua, foramen inspirantes, linguæue parua aliqua opposita mora,
" indiscreta redderent similitudine. Sed hæ tantæ tamq; artificis argutiæ,
" à xv. diebus paulatim desinunt, nec ut fatigatas possis dicere, aut satia
" tas. Vide quæso quid sibi permiserint quidam in tam nobili autore. Primum Harundines mutarunt in Labias nonnulli in Aquas, deinde Fronde adiecerunt, & Harundinea supposuerunt pro Aqua, quam ipsi in Quasi uerterũt, ac Vt pro Ve: Postremo Ex pro Hæ, & Artifices pro Artificis. Hoc est castigare Plinium, scilicet. Porrò malim legere, Linguæ uero quàm Linguæue, ut ro syllabam omissam credam. Siquidem Linguæq; non placet. Illud simplicius est & aptius.

EX CAPITE XXXII.

EOQVE MAXIME SVNT INSIGNES HALCYONES. Vetus codex habet, Eo Maxime S. I. Al.

QVI MARIA QVOQVE NAVIGANT NOVERE. Scribendum è uolumine Murbacensi, Dies earum Partus, Maria, Quique Nauigant, Nouere. Sensus est, Dies earum partus Maria nouere, nam tum trãquilla sunt: & nauigantes nouere, qui eo tempore propter placidum mare libentius nauigant. Hanc sententiam cum doctus quispiam non assequeretur, quæ tamen facillima est, Quiq; in Quoq; uertit, & altero Qui adiecto sic legit, Qui Maria Quoq; Nauigãt Nouere.

COLORE CYANEO EX PARTE MAIORE, TANTVM Purpureis Et Candidis Admixta Pennis. Vetus exemplar hic habet, Colore Cyaneneta Ex Partem Teiore Tantum Purpureas Candidis Admixta Pennis. Conijcio sic legẽdum, Colore Cyanea, Et Ex Parte Interiore Tantum Purpurea, Candidis Admixta Pennis.

EX CAPITE XXIII.

RELIQVARVM QVOQVE SOLERTIAE NOS ADMONET. In antiquo libro non est, Nos.

ET FORAS SATVRITATEM EMITTERE. Vetus codex habet,Foris. Hoc fit dum eam partem extra nidum eleuant.

IN EADEM AEGYPTO IVXTA OPPIDVM COP. In exemplari manuscripto tantum legitur, In Eadem. Et sic fuisse scriptum reor. Nec enim Plinius tam inaniter prodigus est uerborum, ut addat aut repetat ubi nihil est opus. Subauditur autem Aegypto.

INCIPIENTIBVS VERNIS DIEBVS PALEA ET Stramento Rostro Firmantes. Hic non intelligo quidnam faciant hirundines, aut quomodo Insulam Isidi sacram aduersus Nili fluctus, opere muniant, palea ac stramento rostro firmantes. Nam si illam duntaxat palea ac stramento opificio rostri stabiliunt, nihilo certe tutiorem reddunt aduersus alluentis Nili undas. Nec adiuuat, quod in Heracleotico ostio molem continuatione nidorum eidem amni euaganti inexpugnabilem opponunt. Siquidem euaganti fluuio facilius obsistitur aggere in quo nidificant hirundines, quem hoc pacto densiorem, altioremq́ faciunt ac conseruant, quàm perpetua alluuione litus insulæ tundenti. Præterea nidos illarum scimus etiam è luto construi: Molem autem luteam aquis obsistere. Hic Insulam Isidis tantum palea ac stramento firmant. Et Nilus quem nulla saxa remorari possunt, stramentitium munimentum non disijcit? Hoc referemus inter miracula. Fortassis Nilus parcit ob Isidis reuerentiam. Mihi uidetur locus iste mendosus esse, ubi legitur Palea, Et Stramento Rostro Firmãtes, & pro Rostro scribendum Clostrum Est. Vetus sanè codex Rostrum Est habet, non Rostro. Est autem Clostrum contignatio trabium in ligneis ædificijs, qua nonnunquam in parietibus domorum utimur, nonnunquam aliâs dum locum aliquem sepimus. Seneca de sutoria taberna loquens libro de Beneficijs septimo: Deinde per clostrum, inquit, qua se commissura laxauerat, quatuor denarios in tabernam inseruit. Et Ludi Romæ primum clostris circundabantur ad tempus prætentis, quæ amoueri possent, quorum loco fossæ postea factæ sunt quas Euripos uocant, ut Plinius autor est. Hic clostrum septum transuersum significat ex compactilibus postibus constans, extructum ad arcendum frangendumq́ fluuij impetum. Id hirundines palea stramentóque firmant, alioqui inutili opera, nisi solida contignatio foret, cui illæ tam leuem friuolámque materiam applicarent. Quare sic leges hunc Plinij locum. In eadem iuxta oppidum Copton insula est sacra Isidi, quam ne laceret amnis idem, muniunt opere, incipientibus uernis diebus, palea & stramento,

mento,clostrum est,firmãtes,continuatis per triduum noctibus tanto labore,ut multas in opere emori constet.Porrò facillimum tibi nūc est ut uideas,Clostrum esse legēdum.Mihi autē inuenire, difficillimū fuit.

TERTIVM EST EARVM GENVS QVAE RIPAS EXCAVANT, Atq; Ita In Terra Fœtificant. Quid hic narrat Plinius? Hirundines quædam ripas excauant,atq; ita in terra fœtificāt.Mirum uero quod primum ripas excauant,deinde in terra fœtificāt.Quis obsecro uidit uel audiuit hirundines humi fœtificantes.Nisi uelis exponere,Atq; Ita In Terra,hoc est ripis ipsis terrenis fœtificāt.Certe si hoc significare uoluisset,potius scripsisset, Atq; Ita In Iis fœtificāt. Sed qd hic fœtificandi uerbum facit,quando de nidificādo,hoc capite Plinius agit? Manuscriptū uolumen habet, Atq; Ita In ter Nidificant.Sicq; legendum est,composita dictione, Internidificant. Doctus quispiam cū uideret lacunam hic, putauit aliquid deesse,syllabamq; ra addidit, & Nidificant mutauit in Fœtificant.Est autem elegans uerbum,Internidificare,sic huic loco quadrans,ut aliter legi non possit,nisi cū Pliniani sensus dispendio.Iam & Est quispiam addidit,quod alioqui subaudit. Sic enim in ueteri codice legitur, Tertium Earum Genus,Quæ Ripas Excauant, Atq; Ita Internidificant.

IN GENERE ITEM RIPARIARVM EST. Item particula adiecta uidetur,cum non sit in libro uetusto.

EADEM FIGVRA EX LINO INTEXENS. Manuscriptum uolumen habet, Texens.

PICORVM ALIQVIS SVSPENDIT IN SVRCVLO Primis In Ramis. Sic in uulgatis æditionibus legitur. Mihi locus mendosus uidetur. Nam antiquum exemplar hic nonnihil uariat,huiusmodi lectionē continens,Picorū Aliquis Suspenditur Surculo Primus In Ramis Ciati Modo Vt Nulla Quadrupes Possit Accedere. Cōijcio scriptū fuisse,Picorum Alicui Suspendit:subaudi,nidus,quod & præcessit.Ansam errori dedit ut Aliquis supponeret pro Alicui,proxima dictio Suspenditur à litera s incipiens, quæ cum ad præcedentē quoq; fuisset applicata per errorem legebatur Alicuis. Id statim c in q mutato uersum est in Aliquis. Est autem nunc plana sententia,Picorum alicui suspenditur, surculo,primis in ramis cyathi modo,ut nulla quadrupes possit accedere.

PLVMBATIS

PLVMBATIS IGITVR EOS SAGITTIS. In ueteri codice nō est Igitur.nec necessaria hic ea pticula, sed plane supuacanea.

NAMQVE SVRCVLO SVPER BINA OVA IMPOSITO, Ac Ferruminato Alui Glutino, Subdita Ceruice Medio, Æqua Vtrinque Libra Deportant Aliò. Hic locus interpolatus esse uidetur a docto quopiā, duabus dictionibus additis, quæ non sunt in uetusto codice. Eæ sunt Ferruminato, & Subdita. Facilius autem erat de suo aliquid adijcere, quàm è uestigijs magno labore & nonnunquam irrito, germanam Plinij lectionem uenari. Quæ sanè tam tenuia corruptáque habet hoc loco manuscriptum uolumen, ut diutissime me tenuerint occupatum. Iámque desperaueram aliquid me posse inuenire, cum tandem in mentem uenit, quod non omnino displicet. Sed uideamus primùm ruinas ueteris lectionis, quæ tales in Murbacensi codice extant, Namque Surculo Super Bina Oua Imposito Alui Glutino Siuf ita Ceruice Medio Equa Vtrinque Libra Deportant. Quod ergo post multas coniecturas in mentem uenit, hoc est: legi uidelicet posse, Namque Surculo Super Bina Oua Imposito, Alui Glutino Sui Lita, Ceruice Medio, Æqua Vtrinque Libra Deportant. Porrò uides si in hunc modum legamus quem uestigia certe exhibere uidentur, nec Ferruminato opus esse, nec Subdita. Nam hic, Ceruice Medio, subauditur Imposita, uocabulum præcedens, ut dandi casu Medio rursus accipiatur.

ID QVIDEM ET COTVRNICES, TROGVS INQVIT. In exemplari uetusto, non legitur, Inquit.

CAPIVNTVR QVOQVE PVGNACITATE. Sic distingue, Capiuntur quoque pugnacitate eiusdem libidinis, contra aucupis indicem exeuntes in prælium duce totius gregis.

CONTRA AVCVPEM FOEMINA EXEVNTE, VT RIXANDO ABIGAT EVM. Quis hoc crediturus est Plinio, perdicem fœminam contra aucupem exire, ut rixando abigat eum? O miram auem quæ hoc conetur. Et o stolidum timidumq́ue aucupem qui tam facile cedat. Odiosa rixa debet esse quæ uirum abigere possit. Nec autem aliud ex ijs uerbis elicias, quæ in uulgatis æditionibus leguntur. Ego locum mendosum esse puto. Manuscriptum uolumen sic habet, Contra Aucupum Fœminam Exeuntes Vt Rixando Abigant Eum.

» Suspicor sic fuisse scriptum. Rursus circa conceptum fœminæ capi-
» untur, contra aucupem fœminam, exeuntes ut rixando abigant eam.
» Sensus est clarus. Fœminæ perdices, uisa perdice uenatrice, timēt ne ad marem accedat, idcirco exeunt ut illam abigant.

CVM SENSIT FOEMINA AVCVPE ACCEDENTE Ad Marem Recanat Reuocetq́ꝫ. Vetustus codex habet, Cum sit Fœminæ Auc. Hermolaus pro Cum Sit, iubet legere Cū Sensit. Quid si tu legas, Cursim. Certe Recanat aliquid rasuræ habet in manuscripto libro. Suspicor fortassis Retrahat legendum, nisi placet Mire Canat scribere. Sic autē distingues, Adeoq́ꝫ uincit libido etiam fœtus charitatem, ut illa furtim & in occulto incubans, cursim fœmina aucupe accedente ad marem, & quæ sequuntur.

VT IN CAPITE AVCVPANTIVM. Suspicor scriptū fuisse, Aucupantis.

SPEM FRVSTRANS. Legendum Speque Frustrans, Veteri codice demonstrante.

EX CAPITE XXXIIII.

AB HIS COLVMBARVM GESTA SPECTANTVR Maxime Simili Ratione. Mores Iidem, Sed Pudicitia Illis Prima, Et N. N. A. Hic pugnam aliquā aut egregia aliquot facinora audituri sumus, quando gestorū uocabulo hic utitur Plinius, Columbarū gesta maxime spectari dicēs. Nisi uero putamus illū gesta pro gestibus usurpare, quemadmodū indoctum uulgus loquitur. Proculdubio sciolus quispiā hic diu fuit in deprauādo Plinio occupatus, qui Ab his ꝓ Post has hic infulsit, latini sermōis pulchre gnarus. Equidem uideor mihi in hoc loco nihil minus audire quàm Pliniū. Exēplar Manuscriptū sic habet. Aues Columbarum Maxime Spectant̄ Simili Ratione Mores Inde Sed Pudicitia Illis Prima Et Neutri Nota Adulteria. Conijcio sic legendū, Inter Aues, Columbarū Maxime Spectant̄ Simili Ratiōe Mores Vitæ. Sed Pudicitia Illis Prima Et Neutri Nota Adulteria. Enimuero primæ dictiōi dedit occasionē ut citius omitteret̄, postremū præcedētis capitis uocabulū. Deinde Vitæ cū quispiam scripsisset inter, mox alius id castigaturus supposuit Inde. Sic autē legere multo simplicius est, nisi multum fallor, quàm Gesta Columbarū hic inculcare, quasi historiam nobis narraturus sit Plinius.

EX CAPITE

EX CAPITE XXXV.

VIVERE PALVMBES AD XXX ANNVM. ALIQVOS, Ad XL Aristoteles autor Est. Vno Tant. Vetus uolumen sic habet. Viuere Palumbes Ad Tricesimum Annum Habemus Autores. Vno Tant. Miror uero quisnam posteriorem clausulam adiecerit

PRAETERQVAM IN CLAVSVLAE GEMITV. In antiquo libro legitur Præterq. In Clausula Gemitu. Legendũ forte, Præterea In Clausula, Gemitu, aut Praetereaq;, Nisi magis placet Caeterũ.

CVM OVA INCVBANT. Vetus habet, Incubat.

PARIVNT AVTEM POST SOLSTITIA. Sic in uulgatis æditionibus. In manuscripto codice legitur, Pariũt Autem Cum Solstitio.

EX CAPITE XXXVI.

INEST QVIDAM GLORIAE INTELLECTVS. Scribendum, Inest Quidam Et Gloriæ Intellectus.

QVAE ETIAM EX VOLATV CREDVNTVR. Plaud. Vetus habet, Qui etiam Ex Volatu Quæritur. Conijcio legendu m, Quinetiã Ex Volatu Quæritur, subaudi Gloria. Plaudere In Coelo, subaudi Credas.

ALIOQVIN SOLVTO VOLATV IN MVLTVM VELociorem Speculatur Occultus Fr.L. Hæc sententiã prorsus est deprauata, restituenda sic è codice uetusto, Alioquin Soluto Volatu In Multum Velociores. Speculatur Occultus Fronde Latro, Et Gaudentem In Ipsa Gloria Rapit.

EX CAPITE XXXVII.

QVIN ET INTERNVNCIAE IN REBVS MAGNIS Fuere, Et Epistolas Adnexas Earum Pedibus Obsidione Mutinensi In Castra Consulum Pertulere D. Bruto Mittente. In hac oratione doctus quispiam, adiecit Et, coniungentem particulam, ac uerbum Pertulere, quibus nihil omnino opus est. Sic enim in ueteri uolumine legitur, & sic Plinium non dubito scripsisse: Quin Et Internunciæ In Magnis Rebus Fuere, Epistolas Adnexas Earũ Pedibus Obsidione Mutinensi In Castra Consulum Decumo Bruto Mittente.

QVID VALLVM ET VIGILVM OBSIDIO. Sic uulgo legunt omnes. Verum si uigiles tantum Mutinam obsidebant, reliquis militibus domum profectis, cur non eruptionem meditabatur præsidium Romanorum quod intra oppidum erat, ad uigiles istos uel occidendos uel certe fugãdos? Sed melior Imperator Antonius, quàm ut uigiles tantum in obsidione relinqueret. Cæterũ extra iocum, in exẽplari manuscripto legitur Vigil obsidio. sicq; scribendũ est, nõ Vigilũ.

HARVM VOLATVS IN REPVTATIONEM CAETERarum Quoque Volucrum Nos impellit. Vetustus codex habet. Harum Relatus In Reputationem Cæterarum quoque Volucrum Impellit. Retulit autem & de uolatu columbarum Plinius.

EX CAPITE XXXVIII.

VELVT INCLVSVM EVM PREMENTES. In manu scripto uolumine legitur, Vel Inclusum Eum Prementes. Et mox Hæ Iaculantur Sese, non autem tantum, Iaculantur Sese.

PLECTVNTQVE COLLA. Vetus exemplar habet Flectunt Colla sine Que particula. Sic autem præcedens sententia distingui debet. Vultur & ferè grauiores nisi ex procursu aut altiore tumulo immissæ, non euolant. Cauda reguntur. Aliæ circumspectant, Aliæ Flectũt colla. Porrò quod hic dicit Cauda regũtur, respicit id qoud supra dictum est de Miluis. ubi, Iidem, inquit, uidentur artem gubernandi docuisse caudæ flexibus.

NONNVLLAE VESCVNTVR EA QVAE RAPVERE PEDIBVS, Ex ueteri codice scribendum, Nec ullæ uescuntur Ea Quæ Rapuere Pedib.

SINE VOCE NON VOLANT MVLTAE, AVT ECONtrario Semper In Volatu Silent. Subrectæ, Pronæ, Obliq. Non dubito quin hic locus sit fœde deprauatus, tametsi nullus animaduertit. In manuscripto uolumine legitur, Sine Voce Non Volant Multæ Aut Econtrario Semper In Volatu Silent Subrecto Pronæ Obliq. Conijcio sic à Plinio fuisse scriptum, Sine Voce Non Volant Multæ. At Econtrario Semper In Volatu Silent Subrecto. Prone, Oblique, In Latera, In ora, Quædam Et Resupine Feruntur.

Ex capite

EX CAPITE XXXIX.

PLVRIMVM VOLANT QVAE APODES VOCANtur, Quia Carent Vſu pedum. Ab alijs Cypſeli Appellantur Hirundinum Specie. Hic doctus quiſpiam uerbum Vocantur infulſit, cum eo nil ſit opus. Tu ſic lege & diſtingue, Plurimum Volant Quæ Apodes, Quia Carent Vſu Pedum, Ab Alijs Cypſeli Appellantur, Hirundinum Specie. Ex ueteri codice.

CAETERA GENERA RESIDVNT, ET SISTVNT. Quid ſibi hoc uult, Et Siſtunt? Mendum eſt. Syncerior uetuſti uoluminis lectio habet, Cætera Genera Reſidunt, Inſiſtunt.

ET INGENIA AEQVE VARIA. Liber manuſcriptus, Nec particulam adiectã habet, hoc modo, Et Nec Ingenia Æque Varia Ad Paſtum Maxime. Hinc conijcio ſic à Plinio olim ſcriptum, Sed Nec Ingenia Æque Varia Ad Paſtum Maxime. Eſtq; hæc clauſula haud dubie præparatio ad caput ſequens. Quam non intellexiſſe uidetur qui Plinium primus in capita ſecuit. Ego ſanè malim ab ea Quadrageſimi capitis initium facere. Nam cohærent quæ ſequuntur de Caprimulgis & Plateis. Quarum auium paſtu nihil admirabilius.

EX LIBRO DECIMO QVARTO.

EX PROOEMIO.

TANTVM PRISCORVM CVRA FERTILIOR. Scribendũ è uetuſto codice, non Tantũ, ſed Tãto Priſcorũ Cura Fertilior.

REGES INNVMERI HONORE ARTIVM COLEBANtur. Vetus exẽplar habet, Regeſq; Innumeri Hon. Art. Colebãtur.

ALIVS HANC ALIO MODO ET IN ALIIS ADOrare, Eodẽ Tamẽ Habẽdi Quæſtu ad Spes Hominũ Tẽdente Voto. In æditione quã nobis dedit Lutetia, annotatũ eſt Guilielmũ Budæũ uirum eruditiſſimum, priorem iſtius ſententiæ partem tãquam ſubdititiã reſecuiſſe, nõ inuentã in uolumine quodam ueteri. De qua re equidẽ multũ miror. Nã ea dempta uideo ſententiæ quoq; elegantiã perire,

quæ eſt in hijs uerbis, Alio Modo, Et In Alijs, deinde Eodem Voto. Vult enim hoc dicere Plinius, miram eſſe ſeruientium diuerſitatem propter uarias ſeruitutis ſpecies:& rurſus miram conuenientiam, dum omnes huc ſpectant, ut diteſcant. Alteram uero partem nempe poſteriorem ſic legendam putat, Eodem Tamen Habendi, Quo Spes Eat Omnium, Tendente Voto. Manuſcriptum exemplar hic habet, Hāc Alius Alio Modo Et In Alijs Adorare Eodē Tamen Habendiq. Ad
» Spes Omnium Tendente Voto. Proinde malim legere. Hanc alius
» alio modo & in alijs adorare, eodem tamen, habendiq́; ſpes omnium
» accendente uoto. Nam conijcio Adcendente ſcriptum fuiſſe auulſa priore ſyllaba à reliquis, hoc modo, Ad cendente. Cumq́; librarius duas eſſe dictiones putaret, præpoſitionemq́; ſuo caſu carere, tranſtulit hāc in anteriorem locum, aptius legi cenſens, Ad Spes Omniū, quàm Spes omnium Ad. Deinde cendente quod nihil ſignificabat, mutauit in Tendente. Cæterum Habendiq́;, expoſitiuum eſt, ut ſit, Eodem uoto habendiq́; uoto, hoc eſt Eodem uoto, nempe habendi, ſpes omniū accendente. Suſpicatus aliquando ſum pro Habendiq́; ſcribendū Appendice. ſed alterum magis probatur. Hæc non ob aliam cauſam annotanda duxi, niſi ut pro candore meo optimum uirum, cui literæ non parum debent, & alios quoque ſtudioſos adiuuarem, ſimileis admonitiones uiciſſim non ægre laturus. Nec enim tam feliciter in hoc lucubrationis genere quiſquā uerſari poteſt, ut non alicubi quidpiam in eo deſiderari queat. Nec tam oculatum ullum puto, qui omnia uideat.

VT VEL HOC VNO OMNIA GENTIVM VICISSE, Quanquam Odorifera, Poſſit Videri Bona. Vetuſtus codex nō habet Quāquam Odorifera, ſed tantum, Quàm Odorifera, Conijcio ſcriptum fuiſſe Vſquam, Nec enim hic placet Inquam, magis placeret
» quamlibet. Itaque ſic leges, Quarum principatus in tantum peculiaris
» Italiæ eſt, ut uel hoc uno omnia gentium uiciſſe uſquam odorifera poſ
» ſit uideri bona.

EX CAPITE IIII.

DATIS GENERI HVMANO. Scribendum Romano non Humano, quemadmodum & in æditiōe Frobeniana annotatum uides. Sic enim uetus codex habet.

ILLIVS VERO AEVI CONFESSIONE. In Manuſcripto

scripto uolumine legitur, Ille Vero Eui Confessione. Conijcio scriptum fuisse, Illi us a eui Confessione, quas syllabas & diphthongi uocalem priorem socors librarius mutarit in Ille Vero Eui. Neque enim tam inops uerborum fuit Plinius, ut Vero Coniunctionem quae quarto loco praecedit in eodem uersu, hic repetere uoluerit. Vt omittam interim, quod sensum non adiuuat, sed impedit.

TOTO SEPARATIM TRACTATV TESTATVS SENtentiam. Cuius Excellentia Indicanda Est. Vt In O. G. Noscamus. Hanc Plinij sententiam doctus quispiam mire adulterauit, dictionibus quibusdam assutis. Nam exemplar uetustum huiusmodi lectionem continet, quae cum syncera est, tum aperta ac clara. Separatim Toto Tractatu Sententia Eius Indicanda, Vt In Omni Genere Noscamus Quae Fuerint Celeberrima. Quid quaeso opus fuit hic Testatus participium infulcire & Sententiam ascribere, & rursus addere uocabulum Excellētia? Sed uideo quid in causa fuerit. Librarius quispiam pro Eius supposuerat Cuius, & propter hanc relatiuam particulam adijcienda aliqua fuerunt ut consisteret sententia. Caeterum paulopost ubi nos habemus Vita Profecerit, In manuscripto codice legitur, Vita Proficere: Vt suspicer scribendum Profecere, & septimo casu Vita accipiendum. Nam de generibus uitium & uuarum loquitur.

QVAE IN OMNI RE MAXIMĒ SPECTANTVR. Volumen antiquum habet Expectantur.

SED MAXIMA EIVSDEM STHENELI OPERA Rhemnium Palaemonem, aliàs Grammatica arte celebrē, in hisce XX. annis mercatum DC. nummûm in eodem Nomentano, decimi lapidis ab urbe diuerticulo. Est autem usquequaque nobilitas uinetis per omnia suburbana, ibi tamen maxima, quoniam neglecta per indiligentiā praedia parauerat. Ac ne in pessimis quidem elegantioris soli haec aggressus excolere, non uirtute animi, sed uanitate, quae primo notata, mira in illo fuit. Pastinatas enim de integro uineas, cura Sthenelū agricolam imitatus, ad uix credibile miraculum perduxit, intra octauum annum CCCC. nūmûm emptori addicta pēdente uindemia. Cucurritque nō nemo ad spectādas uuarū in ijs uineis strues, literis eius altiores, cōtra id pigra ciuitate sibi patrocināte: nouissime Anneo Seneca principatu tra ditionis ac potētia, quae postremo nimia fuit sup ipm. Minime utique mi raturi Anneū tāto praedij eius amore captū, ut nō puderet inuiso aliàs, & ostento

» & oſtento futuro tradere palmam eam emptis quadruplicato uineis il-
» lis intra decimum ferè curæ annum, digna opera quæ in Cæcubis, Seti-
» nisq; proficeret: quando & poſtea ſæpenumero ſeptenos culleos ſingu
» la iugera, hoc eſt amphoras centenas quadragenas muſti dedere. Hæc
eſt uulgatarum æditionum lectio. Manuſcriptum uolumen ſic habet.
» Sed maxima eiuſdem Stenеli per aremmium palemonem alias gram
» matica arte celebri in hiſce XX. annis mercatorum DC. nummum in
» eodem Nomentano decumi lapidis ab urbe deuerticulo. eſt aũ uſq.
» quaq. notabilitaſ merciſ per omnia ſuburbana ibi tamen maxima
» quõ & neglecta indiligentia prædia parauerat ac ne in peſſimiſ qui-
» dem elegantioris ſoli hæc adgreſſus excolere non uirtute animi ſed ua-
» nitate primo q. nota mine in illo fuit faſtinatis de integro uineiſ cura
» Stenelidum agricolam imitatur ad uix credibile miraculum perduxit
» Intra octauum annum CCCC. nummum emptori addicta pendente
» uindemia cucurrit quæ non neme ad ſpectandas uuarum in hiſ uineiſ
» ſtrueſ litteriſ eiuſ altiorib. contra id prigra uicinitate ſibi patrocinante
» nouiſſime anneo ſeneca principatum traditioniſ ac potentia quæ po-
» ſtremo nimia fuit ſuper ipſum minime utiq. mirature inanium tanto
» ptedito eiuſ amore capto ut non puderet inuiſo aliaſ & oſtentatur
» tradere palmam eam emptis quadruplicato uineiſ illiſ intra decimum
» fere curæ annum digna opera quæ in ecubiſ ſetiniſq. agris proficeret.
» quando & poſtea ſæpenumero ſeptenos culleos ſingula iugera hoc eſt
» amphoraſ cẽtenaſ quadragenaſ muſti dedere. Hic locus de uineis
Rhemmij Palæmonis Grãmatici inter primos eſt, quos reſtituere ſum aggreſſus. Cumq; iam poſt magnum longumq; laborem, omnia fo-rem, quãtum in hoc genere fieri poteſt, ſatis feliciter aſſecutus, commodum adlatus ad me eſt codex Plinianus apud Lutetiam æditus, quem cum in bibliotheca mea non haberem, ab amico ad tempus utendum accepi. In eo circa quartum iſtud caput, reperi ſubnotatum Guilielmũ Budæum de hoc loco multa ſubtiliter diſſerere quinto de Aſſe commẽtario. Cogitabam autem apud me uirum illum de precio tantum aliquid annotaſſe, quo uineta ſua Rhemmius Palæmon emerit, hoc eſt, DC. nummûm, & eo quo pendens uindemia ſemel uendita eſt, nempe CCCC. nummum. Verum inſpecto libro comperi non ſolum nodos illũ explicare numerorũ, ſed & ſingulas propemodum uoces corruptas caſtigare exponereq;. Porrò multum laboris lucri feciſſem, ſi in tempore eam annotationem legiſſem. Nec enim ſine anxia cogitatione deprehenderam, quæ nos in uulgatis æditionibus in accuſandi caſu proferimus, Rhemmiũ Palæmonem Aliâs Grammatica Arte Celebrem, ea

dandi

dandi casu hoc modo legenda, Rhemmio Palæmoni Aliâs Grammâtica Arte Celebri. Tametsi id propterea facilius fuit inuenire, quod in ueteri codice Celebri scriptū esset nō Celebrem, ut nihil dicā de præcedēti sententia, quæ simili casu cōtexta, nō aliter hic quoq; legendum satis persuadet. In uocabulo Mercatorū quod in uulgatis exēplaribus Mercatum legitur, plus negocij fuit priusq; diuinarē Mercato rus esse scribēdū. Id fortassis Budæo nō perinde fuit difficile, qui Mercatorijs in suo uetusto Plinij libro scriptū reperit. Nec in his solū, sed & in alijs quibusdam, quæ citra diuinationē quod plana apertaq; essent è manuscripto uolumine reponi poterant, quale est illud, Cura Stheleni Dū Agricolam Imitatur, & alterū illud, Literis Eius Altioribus Pigra Vicinitatē Sibi Patrocinante, uidebā nos cōsentire, gaudebamq;, quod dū neuter de altero quicq; sciret, nec re inter nos cōmunicata, tam cōcordis sententiæ reperiremur. Nō blādior homini nunq; quod sciam uisō, cū quo præterea nihil mihi familiaritatis intercedit, nisi quod litterarū nomine plurimum illi faueo, & ille fortassis me nō odit, sed quod dicturus sum citra assentationem loquar, inter eos qui Plinio opem ferre conati sunt nullū adhuc inuentum, qui perspicacius quid facto opus sit cognorit. Itaq; cōfugit ubiq; ad exemplaria uetusta, hæc inspicit, hæc citat. Vnde factum est ut obiter in eo autore uersans plura loca restituerit, q; fortassis quidā qui hanc prouinciam ceu peculiarē ex professo subierunt. Porrò ne quis me putet Budaicū Assem cōpilasse, & uerbis meis plus fidei habeat, afferā in mediū & alia quædā, quæ documento sint q; nō oscitāter hūc locū excusserim. Atq; adeo Budæū ipsum adiuuare libet, nō q̄d ille hæc inuenire nequierit, sed quia fortassis nō uacauit. Proinde hactenus audisti de quibus inter nos cōueniat, nūc audi in quibus dissentiamus, & quanto ipse plura diligētissime laboriosissimeq; singula rimatus eruerim. Ergo primū occurrit Nobilitas Mercis, quarū dictionum prior mēdosa est, & pro ea scribendū, Nota Vilitas Mercis. Codex uetustus habet quidē & ipse Nobilitas, sed quispiā supra No syllabam, ta superscripserat, quasi legendū foret Notabilitas. Ego cum excuterem omnia ac ipsam Plinij mentē perpenderē, deprehendi pro eo quod est in uulgatis æditionibus Nobilitas & in manuscripto uolumine Notabilitas, reponendū, Nota Vilitas, nam b pro u & u pro b sæpe ponunt librarij stulte antiquitatē æmulantes. Iam uides his duabus uoculis restitutis Plinij sensum patere, in quo se torquet Budæus. Hoc enim innuit, Palæmonem nō magno precio rus emisse, eo quod agri in suburbanis omnibus paruo soleāt æstimari, minus fortassis fertiles, & propter soli infelicitatē labori impendioq; malignius respōdentes. Certe prædia agri Romani cū Campanis & Laborinis quæ primā

o laudem

laudem hodieque habent, conferri nullo modo nec possunt nec debent. Atque hoc modo uilitas mercis per omnia suburbana, cõsideranda est, alioqui uilitas non futura, puta si ad quorundam prædiorum Prouincialium æstimationem nos uertamus. Cæterum quod Columella scribit, suis temporibus & Nomentanam regionem celeberrima fama fuisse illustrem, & præcipue quam possederit Seneca, de hoc Palæmonis prædio loquens, satis indicat, nouam laudem esse qua ante ea regio caruerit, ut non sit mirum si ea prædia uilia fuerint, & minoris parari solita, quàm Campana. Occurrit deinde hæc sententia,

SED VANITATE, QVAE PRIMO NOTATA, MIRA IN ILLO FVIT. Manu scriptum uolumen habet, Sed Vanitate Primoq. Notamine In Illo Fuit. Conijcio sic legendum, Sed Vanitate Primo, Quæ Nota Mire In Illo Fuit. Est autem hic Plinij sensus, Palæmonem non uirtute animi certóue consilio sed uanitate quadam cuius multa ante documenta præbuerat, primo cœpisse hæc prædia excolere. Iam ad ea ueniendum est quæ Budæus transilit tam corrupta censens ut sensus commode elici nequeat. Suntq; hæc uerba, NOVISSIME ANNEO SENECA PRINCIPATV TRADITIONIS AC POTENTIA, QVAE POSTREMO NIMIA FVIT SVPER IPSVM. MINIME VTIQVE MIRATVRI ANNEVM TANTO PRAEDII EIVS AMORE CAPTVM. Repetenda hic lectio est uetusti codicis, quæ huiusmodi est, Nouissime Anneo Seneca Principatum Traditionis Ac Potentia Quæ Postremo Nimia Fuit Super Ipsum Minime Vtique Miratura Inanium Tanto Predito Eius amore Capto. Sanè uerissimum est quod Budæus scribit, tam hæc esse corruptá ut sensus commode elici nequeat. Mihi enim difficillimum fuit diuinare quidnam hic foret legendum. Existimo uero sic Plinium scripsisse, Nouissime Anneo Seneca principatu ditionis, ac potentia, quæ postremo superfuit ipsi, nemine utique miraturo inanium, tanto prædij eius amore capto. Hoc autem uult dicere Plinius, Prædium istud Palæmonis in Nomentano propter uberrimum prouentum tantam acquisisse laudem ut Anneum Senecam non puduerit id emere quadruplicato precio. Quod Senecæ factum è uulgo fortassis & inanium numero nemo miretur, ideo quod hortorum ac uillarum possessione, & potentia, nimirum clientelis innumeris & omnium fauore non solum principis Neronis sed et reliquorum magnatum, tum in primis populi, quæ res illi inuidiam conciliauit suspectumque reddidit, & exitialis postremo fuit, suo tempore cunctos antecelleret.

antecelleret. Nam homines uani uirtutéque carentes diuitibus quid uis licere putant, dum rectum non honesti regula sed suis moribus affectibusq; metiuntur. Subtaxat autem Senecam Plinius ueluti reprehensionem sapientum ac bonorum auiditate illa cuncta coemēdi, merentem. Qui, ut est apud Tacitum, in oratione sua ad Neronem qua missionem ac munerum uacationem petit, uerissime de se dixit quasi seipsum castigans, Vbi, inquit, est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spacijs tam lato fœnore exuberat. Sed & idem Tacitus refert, accusatū apud Neronem fuisse Senecā, tanq; ingētes & priuatū supra modum euectas opes adhuc augeret, quodq; studia ciuiū in se uerteret, hortorum quoq; amœnitate & uillarū magnificentia quasi principē supergrederetur. Verū Burri mors infregit Senecæ potentiā, ut est apud eundē. Nō mirum igitur si ditionis principatū, & potentiā Plinius Senecæ tribuat. Eleganterq; superfuisse ipsi potentiā dicit, quā ille nimiā & superfluam habuit. nam etiā hoc superesse significat. Nunc uideamus quid librarium seduxerit, ut Plinij uerba tam fœde deprauaret. Primū adiecit ad uocabulū Ditionis tra syllabā quam deesse putabat, stoliditate quadam. Deinde cū scriptum esset, Quæ Nimia Super fuit Ipsi, quia interuallum in medio uidebat ipse duas esse dictiones ratus, castigare hunc locū ausus est, quē ipse male habere iudicabat, ideo quod Super Præpositio suū casum nō haberet. Quare eā uocem transtulit ut cū Ipsi pronomine copularetur, sed cū nec sic recte tinniret in auribus Latino sermoni assuetis scilicet oratio, uertit Ipsi in Ipsum, & pro eo quod esse debebat, Quæ Nimia Superfuit Ipsi. scripsit, Quæ Nimia Fuit Super Ipsum. Postea hallucinabundus ob nimiū potū fortassis pro Nemine supposuit Minime. nā hoc negādi aduerbiū apte uidebat ei cohærere cū Vtiq; particula. Sed & pro Miraturo scripsit Miraturo cuius erroris causa sunt præcedētes dictiōes in e desinentes. Inaniū uero reliquit ut erat. Id uocabulū doctus quispiā postea mutauit in Anneum, eo quod hic de Seneca sermo sit, cuius illud est prænomen. Postremo Prædij uertit in Predito propter reliquos ablatiuos eiusdē ferè terminationis, sed hoc erratū statim sensere docti. Est aūt Plinio perquā familiare, queādmodum sæpe iam monuimus, huiusmodi ablatiuis absolute positis, ut uocāt, uti, quorū hic magnū aceruū uides. Inter eos illi duo Principatu Ditionis & Potentia uere septimi sunt casus, sic exponēdi, Nemine Miraturo Inaniū, Principatu Ditionis Et Potentia, hoc est, ob principatū ditionis & potentiam, quibus Seneca pollebat. Sequitur, VT NON

O 2 PVDE

PVDERET INVISO ALIAS, ET OSTENTO FVTVRO TRADERE PALMAM EAM EMPTIS QVADRVPLICATO VINEIS ILLIS INTRA DECIMVM FERE CVRAE ANNVM. Manuſcriptum uolumen habet, Vt Non Puderet Inuiſo Aliâs Et Oſtentatur Tradere Palmam Eam Emptis Quadruplicato Vineis Illis Intra Decimum Fere Curæ Annum. Totum negocium eſt in his uerbis. INVISO ALIAS ET OSTENTATVR. nam cætera recte habent. Vides autem Oſtento Futuro, quemadmodum in peruulgatis æditionibus legitur, non haberi in uetuſto codice, ſed duntaxat Oſtentatur. Id corrigit Budæus, Oſtentaturo, ſicut & mox præcedentes dictiones Inuiſo Alias, Inuiſuro Alias Regiones. Vt intelligamus, inquit, Palæmonem tanto pretio ea regione exactum, alium locũ quæſiturum in quo oſtentare precium induſtriæ ſuæ poſſet. At ego hic in longe alia ſum ſententia, qui non Inuiſuro alias regiones & oſtentaturo, legendum credam, ſed potius, Inuiſo Aliâs Et Hoſti Vt Aiunt. Eſt enim Aliâs hic aduerbium, non nomen: ut errarit ille fœdiſſime quiſquis fuit qui in uetuſto uolumine quod ſe Budæus uidiſſe teſtatur, uocabulum Regiones aſcripſit. Cur autem ſic legendum putem, paucis aperiam. Tradit Suetonius Tranquillus Rhemmium Palæmonem Vicetinum Romæ quidem docuiſſe, ac principem locũ inter Grammaticos tenuiſſe, quanquã infamem omnibus uitijs. Inſuper arrogantia fuiſſe tanta, ut M. Varronem porcum appellaret. Secum & natas, & morituras literas iactaret. Ergo quando omnibus uitijs infamis fuit Palæmon, quis non arbitretur illum odio habitũ hac de cauſa Senecæ, uiro tam graui ſanctóque? Quod ſi M. Varronem auſus eſt uocare porcũ, quem omnes ueteres tantopere laudibus uehunt, an credimus eum Senecæ peperciſſe? Sane qui undecunque doctiſſimi inter Romanos uiri pridem defuncti famam impie lacerare eſt auſus, hauddubie tum commendatione ingenij doctrinæque florenti, & proinde omniũ fauorem emerito Senecæ, ex inuidia quæ uiuentium gloriæ eſt impatientiſſima, fortiter obtrectare non ceſſauit. Nec uero quicquam ambigo, Senecam cũ tam infami nec minus arroganti uiro, non diſſimulatas inimicitias exercuiſſe: ut hoſtis dici potuerit. Arguit autem hoc, mire placuiſſe prædium illud Senecæ, quod inuiſo homini & etiam hoſti, cuius res, ceu natura nobis omnibus inſitum eſt, amare nõ poterat, tantam ſummam numerare uoluerit, & palmam accuratæ culturæ tradere. Nam uulgo cum quippiam ab amicis redimimus, non magnopere de pretio paciſcimur, nonnunq̃

nonnunquam etiam plus dantes quàm illi postularint. At ei cui nõ bene uelis, enorme pretiũ persoluere, satis indicat quãto eius rei amore teneaaris, quam tuã efficere etiã iniquissima pecuniæ summa numerata te nõ pudeat: quando plerique adeo nõ sint parati hoc facere, ut donatas etiã res & gratis oblatas ab inimicis accipere nolint. Siquidẽ naturale est, ea quæ inimicorũ sint, strenue contemnere. Enimuero non uidetur mihi uendito prædio isto, Palæmon propterea aliam regionem inuisere coactus fuisse, quando ex schola amplum salarium percipiebat, & alioqui re erat satis lauta, nisi quod ipsius sumptibus immodicis nihil sufficiebat. Porrò cum librarius hosti ut aiunt cohærentibus syllabis forte scriptum reperisset, u litera in n mutata, hoc modo, ostintaiut, & posterius u lineola trãsuersa supne careret, mutatis quibusdã adhuc elemẽtis in ea quorũ figuræ alioqui ꝓxima sunt, supposuit, ostẽtaturo. Cæterũ non prorsus nego ostentaturo legi nõ posse, sed facit ꝓcedens uerbum Inuiso, tum quod sequitur Palmam Tradere, ut plane malim Hosti Vt Aiunt legere quàm Ostentaturo. Sed de hoc doctorum esto iudicium. Apponamus nunc totum Plinij locum, in quo tamdiu laborauimus, ut quid restituerimus quidue mutauerimus, facilius lector cognoscat.

» Sed maximã, subaudi fãma est, eiusdem Steneli opera, Rhemmio Palæmoni aliâs Grammatica arte celebri, in hisce XX annis mercato rus DC. nummûm in eodem Nomentano, decimi lapidis ab urbe diuerticulo. Est autem usquequaque nota uilitas mercis per omnia suburbana, ibi tamen maxima, quoniam neglecta indiligentia prædia parauerat. Ac ne in pessimis quidem elegantioris soli. Hæc aggressus excolere non uirtute animi sed uanitate primo, quæ nota mire in eo fuit, pastinatis de integro uineis, cura Steneli, dum agricolam imitatur, ad uix credibile miraculum perduxit, intra octauum annum CCCC nummûm emptori addicta pendẽte uindemia. Cucurritque nõ nemo ad spectandas uuarum in ijs uineis strues, literis eius, altioribus, contra id pigra uicinitate sibi patrocinante: nouissime Anneo Seneca, principatu ditionis ac potentia, quæ postremo nimia superfuit ipsi, nemine utique miraturo inanium, tanto prædij eius amore capto, ut non puderet inuiso aliâs & hosti, ut aiunt, tradere palmam eam, emptis quadruplicato uineis illis, intra decimum ferè curæ annum, digna opera quæ in Cæcubis Setinisque agris proficeret: quando & postea sæpenumero septenos culeos singula iugera hoc est amphoras centenas quadragenas musti dedere. »

Porrò eo libentius integrum Plinij recensuimus locum, quod inte-

rim autori bifariam succurrimus, dum ENIM particulam expungendã esse liquet, ubi legitur in uulgatis æditionibus, Pastinatis Enim De integro Vineis, à docto quopiam non sine dispendio sensus insertam: Et rursum ubi scriptum est Digna Opera Quæ In Cæcubis Setinisque proficeret, Vocabulum Agris per librarij incuriam omissum, nos reposuimus.

IN MARITIMA PARTE GENITO, VT AVTOR EST HOMERVS. Vetus codex habet Genitóue Autor Est Homerus. Vt legi possit Generato, Autor est Homerus.

MARONEVM VICIES TANTO AQVAE MISCENDVM. E manuscripto uolumine reponendum est hic uocabulum Addito omissum in uulgatis exemplaribus, hoc modo, Maroneum Vities Tanto Addito Aquæ Miscendum Homerus Prodidit.

FINIS.

[redacted] APVD IOANNEM FROBENIUM Mense Martio, Anno M. D. XXVI.

